





6
8
LXXI
1762
26

GEORGII SAMVELIS MADIHN
IVRIS VTR. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS
IVRIVMQVE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE
COMENTATIO
SISTENS
CAVSSAM DEBITORIS
CIRCA
PECVNIAE SOLVTIONEM
MVTATO
POST CONTRACTVM
NUMMORVM VALORE

—
D. XXIV. APRILIS MDCCLXII.

DEFENSA

A
IOANNE DAVIDE WENZELIO
NVNC CIVITATIS ASCANIENSIS CAMERARIO.

—
RECUSA ET AVCTA MDCCLXVII.

—
HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNEM CHRISTIANVM HENDEL.

XII. i.

177

RECEIVED OF THE
OFFICE OF THE
SECRETARY OF THE
TREASURY
FOR THE
PAYMENT OF
THE
DEBT OF THE
UNITED STATES
OF AMERICA
IN FULL

177





COMMENTATIO
SISTENS
CAUSSAM DEBITORIS CIRCA PE-
CVNIAE SOLVTIONEM MVTATO POST
CONTRACTVM NVMMORVM
VALORE.



§. I.

Dicendorum ratio exponitur.



In doctrina de mutuo, aliisque negotiorum ge-
neribus, vbi pecunia soluenda in obligatione
est, licet videatur plana, trita, ac vulgaris,
supereffe salebras, ad quas pes haereat, illi
profecto intelligunt, qui eandem diligentius curatiusque rerunt.
Verum id minime iam ago, vt omnes omnino huius exime-
rem



rem scrupulos, omnesque interpretum dissensiones, instar iudicis ex alto pronunciantis, dirimerem vna sententia. Sed controuersam tantum modo tractabo quaestionem, quae circa pecuniae solutionem oriri solet, nummorum valore deinceps vel aucto, vel deminuto. Non desunt, qui peculiare hac de re diuulgant commentationes, vt illos taceam, qui sparsim, succincte tamen, eandem in scriptis suis tetigere. Sed scopulos offenderunt, quos iam praeternaigare licet. Accedit, quod nullum tempus huic exponendae magis adcommo-
dandum fuerit, quam praesens, quod viuimus, seculum. Tantam his funestis temporibus res monetaria fecit iacturam, vt vniuersa fere negotiorum ciuiliu genera inde perturbata sint, grauissimaque in diem nascantur in foro litigia, circa nummos soluendos. Partes creditorum ingens D. D. turma sustinet. Fremunt debitores. Sed hi ex veterum castris si militant, legum rationibus, rerum natura, legitimis notionibus, ipsaque imo aequitate Iuris Romani satis subfulti sunt. *En beneuole Lector!* Tanta est argumentorum congeries, qua causam eorum tuebor: non vt nefandis creditores illaquearem difficultatibus, sed vt ex-
crescentem foeneratorum malitiam compescerem ac effrenatam habendi cupiditatem, quam, proh dolor! multoties cernimus, quoties legali figura illis sese obrulerit palliata occasio, iustis circumscriberem cancellis. Duplex eius rei mihi obuersatur momentum. Alterum in mutuatitia pecunia, alterum in solu-
tione ex aliis contractibus. Vtrumque ideo explanabo. Verbo-
sam disputationem nec polliceor, nec dogmatum meorum ratio exigit. In id imprimis incubui, vt tota hac diatribe eui-
denti euincerem ratione, nullum Iuris Romani praesidium in ea adesse sententia, quam Iureconfulti Germaniae plurimi propugnare solent, qui in hoc certe capite Iuris peregrini doctrinam satis peruerse ad nostrae Ciuitatis fora trahunt. Tanta apud nos nummorum est varietas in externa internaque illorum bo-
nitate,

❦

nitare, totque rei monetariae normae ut ex domesticis Iuribus magis, quam ex peregrinarum sanctionum complexibus monetarum lites dirimendas esse semper mihi visum fuerit.

§. II.

Rei fungibilis notio eruitur.

Omnes res, quatenus ad utilitatem ex illis percipiendam aptae sunt, eatenus respectum ad patrimonium nostrum habere possunt. Sed duplicis sunt indolis, quoad hanc qualitatem. Aliae nobis non praestant usum, nisi cum suis simul specificis determinationibus ad patrimonium referantur (lingua Philosophorum *individualibus*). Aliae autem eiusdem sunt naturae, ut utilitati humanae iam inferantur, si in solo suo genere ut existentes considerantur. Prioris generis, *rerum non fungibilium*, posterioris vero, *fungibilium* nomine, inter Iurisconsultos veniunt. Prioris igitur *non in patrimonio existere possunt, nisi simul in commodis nostris promovendis ad illam respectamus specificas determinationes*. Posteriores vero oppositam habent naturam, & de his valet axiomata; *tantundem ex eodem genere nobis idem est*, in relatione scilicet ad patrimonium nostrum. Hinc ad intelligendum facile est, veram esse definiendi rationem, quam in hoc rerum discrimine ita subducimus: Res, quoad patrimonium nostrum, vel eius sunt indolis, ut tantundem ex eodem genere nobis idem sit, vel minus; priori in casu, sunt res fungibiles, posteriori autem, non fungibiles. Non absoluta est rerum qualitas, ut vel fungibiles sint, vel non fungibiles, sed relativa, adeoque eadem res fungibiles & non fungibiles esse possunt. Divisionis origo tam ex patrimonii nostri natura, respectuque, quem res ad illud habent, quam ex Iuris civilis doctrina reperenda est, quamvis ipsius denominationis vestigia apud veteres vix aduertimus. PAVLLVS, mutui naturam explicaturus in L. 2. §. 1. *D. de reb. cred.* inquit: *Mutui datio*



*datio in his rebus consistit, quae PONDERE, NUMERO, MEN-
 SVRA consistunt: quoniam eorum datione possumus in creditum
 ire; quia in GENERE SVO FUNCTIONEM recipiunt per solutio-
 nem, quam SPECIE. Easdem Iurisconsultus habet res, quas
 hodie dicimus fungibiles, si rerum, quae pondere, numero
 & mensura consistunt, meminerit. Sunt enim quantitatis spe-
 cies. Verum si in quantitate usum praestant, certe in genere
 suo, non in specie, aestimantur, seu quod idem est, fungun-
 tur. Verbum *fungi* interpretum exercuit ingenia. CLAUDIO
 SALMASIO *de modo usurar. cap. 1. adulderatae lectionis PAVLLI*
*doctrina visa est. Pro functionem recipiunt legere mauult suf-
 fectiorem recipiunt.* Sed in re facillima scopulos & in simpulo
 fluctus excitauit. Functionem idem esse ac solutionem, con-
 tra omnem veteris linguae fidem tradit fingitque. Mens Iure-
 consulti haec est: in solutione harum rerum ad genus earum-
 dem magis respicitur, quam ad species, quae dantur. Genus
 sane sine speciebus existere nequit, utraque voce in significa-
 tione iuris ciuilibus sumta, adeoque in omni solutione species ob-
 ueniunt. Sed vel respectu generis aestimatio illis tribuitur, vel
 non. Priori in casu aliarum rerum aestimatione funguntur &
 vicem subeunt eorum, quae data sunt, quod posteriori secus.
 Eadem igitur species, quam accepimus, tam restituenda est.
 Hunc germanum rerum fungibilium conceptum PAVLLO ob-
 uersari, sequentia verba *l. c.* satis illustrant: *Nam in caeteris*
rebus ideo in creditum ire non possumus, quia ALIUD PRO ALIO
inuito creditori solui non potest. Sed rem iam satis perorauit,
 & *fungi* in hanc sententiam ubi dicatur, late exposuit ICRUS
 eximius IACOBVS GOTHOEREDVS in *diff. de functione & ae-*
qualitate in mutuo ad b. l. quamuis a summo viro CORNELIO
 van BYNKERSHOEK *Observat. Iur. Rom. Lib. 1. cap. 10.* notatus
 sit, quod *l. c. pag. 28.* pro *quam specie* legere voluerit *aequam*
specie; ac si dixisset PAVLLVS, rem mutuo datam in genere
 esse*

esse reddendam, & *aequa specie* i. e. aequae bona. Sed de hac re infra. Non inhaerebo praeterea aliarum definitionum examini, quae plerumque ad res tantum consumptibiles adcommo- dari possunt. Sed non quaelibet res fungibilis vsu consumitur, & dantur res non fungibiles, quae etiam vsu consumuntur.

§. III.

Pecuniae numeratio rei fungibilis dationem inuoluit.

Pecunia alio hodie in vita vulgari venit significatu, alio autem venit in iure ciuili. Romani distinguebant pecuniam in genere a pecunia numerata. In priori significatione pecunia inuoluebat omnium rerum complexum, quae in patrimonio alicuius erant. Posterior pecuniae adpellatio idem significat, quod hodie secundum nostrum dicendi vsu hac voce subin- telligimus. Testes nobis sunt *VLPIANVS* in *l. 5.* & *l. 178.* *CEL- SVS* in *l. 88.* & *l. 97.* ac *HERMOGENIANVS* in *l. 222.* D. de *Verb. Signif.* *VLPIANVS* in lege prima rei & pecuniae discrimen ex- plicat, ita ut rei denominatione etiam illa, quae extra patri- monium, pecuniae vero, quae iam actu in patrimonio sunt, ob- ueniant. Quam latiore pecuniae significationem vberiori il- lustrat commentatione in *l. 178.* his verbis: *Pecuniae verbum non solum numeratam pecuniam complectitur: verum omnem omnino pecuniam, hoc est OMNIA CORPORA: nam corpora quoque pecu- niae adpellatione contineri, nemo est, qui ambigat.* Simili ra- tione statuit *CELSVS l. l. c. c.* quam & *HERMOGENIANVS* com- pleta enuntiatione definit: *pecuniae nomine, inquit, non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam iura continentur.* Quibus positis pecunia in specie in respectu ad alias res non significare potest, nisi res numero definitas. Numerus vero inter quantitates pertinet, hinc pecunia est res quantitate sua definita. Qualis autem quan- titas est, quam Romani ad pecuniae naturam requisituere? iam vide.



videbimus. Quantitatem in genere spectatam, in physicam & moralem, quae rebus tribui potest, distingui, iam non tradam. Pauci praeterea sunt, qui ignorant. Id tantum monendum esse duco, quantitatem hic obuersari moralem in determinanda pecuniae indole. Egregie rem explicuit PAVLLVS in *l. i. pr. D. de contrab. emb.* digna profecto, quin tantiuis pretii locum iam adcuratori trutina perlustremus. Iureconsultus emtionis pretii-que eminentis, sine quo nulla est emtio, naturam causasque, quibus originem debet, traditurus, pecuniae simul indolem perfectum reddit. *Origo emendi*, inquit, *vendidique a permutationibus coepit.* *Olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed vnus quisque secundum necessitatem temporum ac rerum, vtilibus inutilia permutabat, quando plerumque euenit, vt quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, vt, cum tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, CVIVS PVBLICA ac PERPETVA AESTIMATIO difficultatibus permutationum AEQUALITATE QUANTITATIS subueniret: eaque materia FORMA PVBLICA percussa, vsus dominiumque NON TAM EX SVBSTANTIA praebet, quam EX QUANTITATE: nec vltra merx vtrumque, SED ALTERVM PRETIVM vocatur.* Ex hac PAVLLI oratione haud difficile intelligimus, rem quandam esse constitutam, quae omnium reliquarum rerum vice fungitur, & quae pretium dicitur. Verum haec rei determinatio fieri non poterat, vt nimirum omnium aliarum rerum vice vna res fungatur, nisi publica ac perpetua aestimatio illi tribueretur. Quo facto, opus erat externis signis, quibus respectu publicae ac perpetuae huius aestimationis, ab omnibus aliis rebus discerni possit. Hinc ad illam forma publica accedere debet. Haec forma signum est publicum perpetuae aestimationis, qua res illa in negotiis humanis fungatur. Quare ad pretium constituendum duo requiruntur

1) ma-

1) materia quaedam ex rerum numero electa. 2) forma publicae ac perpetuae aestimationis ergo impressa. Sed cum pretium in sensu vulgari idem significet ac valor, hic vero omnibus rebus propter utilitatem, quam praestant, tribuatur, manifestum est, alio & strictiori significatu obuersari pretium *b. l. ICro*, qui de pretio in emtione venditione obuius loquitur, cuius auxilio illa a permutatione discernitur; quodque ideo *pretium eminens* dicitur, quia intuitu valoris pro omnibus aliis rebus substitui potest. Pretium nimirum in genere sumtum, si loquendi usum aduertimus, est res, quae quoad valorem vice alterius rei fungitur. Valor autem rei est quantitas utilitatis, quam res praestat. Hinc *pretium est res, quae quoad quantitatem utilitatis, quam alia res praestat, pro illa substitui potest*. Verum illa res, quam ut pretium alterius rei spectamus, vel publicam ac perpetuam aestimationem accepit, qua omnium aliarum rerum vice fungatur, vel miuus. Priori in casu, *pretium eminens* vocari solet. Pecunia numerata est idem ac pretium eminens, quod et vsus loquendi vulgaris comprobatur. Quamobrem ex Romanorum lingua pecuniae notionem complete percepturus, hac ratione illam deriuare debet: Pecunia in genere est res patrimonio subiecta *l. 38. 178. & 222. D. de P. S.* quae vel publica accedente ac perpetua aestimatione destinata est, ut aliarum rerum omnium vice fungatur, seu quod idem est, valorem omnium reliquarum rerum determinet, vel non. Illo in casu est *pecunia numerata*, quam hodie simpliciter pecuniam dicimus. Hanc pecuniam igitur non constituit materia, ex qua composita est, verum publica potissimum et perpetua aestimatio materiae imposita. Haec porro aestimatio vi summi imperii destinata, quantitatem seu numerum in pecunia constituit.

FRANC. HOTOMANNVS *Illustr. quaest. XV.* CORN. VAN BYN-
KERSHOEK *Obs. Jur. Rom. Lib. I. cap. 9.*



Explicatis iam pecuniae notionibus propositionem, quae in hac descriptione est momenti haud exigui, facili nunc negotio conficere possumus: *pecuniae nempe numerationem rei fungibilis dationem inuoluere.* Si enim pecunia numeratur, res in aliterum transfertur, quae publicam ac perpetuam aestimationem recipit, vi cuius omnium rerum vice fungitur, hinc res alteri datur, quae in solo suo genere utilitati humanae iam inseruit, ubi igitur tantumdem ex eodem genere, intuitu nostri patrimonii, nobis idem est. Verum hac determinatione rerum fungibilium indoles absoluitur (§. 2.) adeoque pecuniae numeratio non potest rei fungibilis dationem non complecti. Quae etiam ex notione Romana luculenter patet veritas huius propositionis, cum Ictus in *l. 2. §. 1. D. de reb. cred.* rerum fungibilium indolem profecutus fuerit, atque inter illas, quae numero aestimantur, res retulerit. Verum hoc interest inter pecuniam numeratam, aliasque res, quae functionem in suo genere e. g. frumentum, vinum oleum, quod haec pro rebus fungibilibus habeantur ratione quantitatis physicae, non ratione aestimationis. Quod enim plus minusue valeant, hoc illoue tempore, nihil ad illorum genus adinet, cuius virtute res fungibiles spectantur. Solummodo numerus, pondus mensuraque consideratur, quisque numerus modiorum, ponderis, amphorarumque sit, quo illarum quantitas constituitur. Contra nummus pecuniaque non corporis, sed aestimationis perpetuae quantitate constat, quae a lege definitur publica, atque a priuatorum arbitrio non pender. Aliarum omnium rerum autem incerta est aestimatio, vt pote quae non ex legis sanctione, sed pro raritate aut vilitate, modo plaris, modo minoris aestimantur. Caeterum nihil de iure eudendi immutandive nummos iam differendi animus, solo potius respectu circum scripta dissertatio, quem pecunia publico imperantium suffragio definita, ad patrimonium negotiaque ciuium fortitur.

§. IV.

§. IV.

Confectaria quaedam ex thesi §. antec. eliciuntur.

Perpenſis iam pecuniae notionibus, ante omnia ſuccincte explanabimus, quae ex rerum fungibilium amplexibus, pecuniaeque natura certe conſciuntur.

1) *Ad pecuniae numeratae conſtitutionem in genere duo requiruntur, alterum, publica eius aeſtimatio ſeu valor ſuprema imperantium auctoritate impoſitus, alterum, materia ſeu nummorum corpora. Sine publico enim valore impoſito pecunia non concipitur (.3.) & quantitas ſine corporibus exiſtere nequit, ipſaque, quam nummi habent, aeſtimatio earundem quantitas eſt (§. cit.). Quamobrem duo haec ſunt pecuniae conſtitutiva, ſi in toto ſuo ambitu illam conſideramus. Verum, ſi pecunia numerata ſpectatur, qua talis, non materiae ſeu corporis nummorum, ſed, quam reipublicae decreto accepit, aeſtimationis habendam eſſe rationem, rei natura omnino depoſcit. Ipſa enim materiae electio, cui valor publica lege ſtatuendus, ad Imperantis plane pertinet arbitrium, a ciuibus pro norma rerum ſuarum pretii habendum. Quo circa efficitur, hanc materiam forma publica percuffam, virtute aeſtimationis illi impoſitae, non propter ipſius materiae qualitates, haud amplius conſiderare poſſe tanquam mercem aliquam, ſed ipſa pretium eminens omnium rerum merciumque vnicum habenda eſt. Eandem ſententiam nobis PAVLLVS certe praeiuit, cuius mentis integritatem §. antec. expoſui, pecuniae originem accurate, neque in pecuniam eueſta eandem a mercium numero penitus nunc diſcerni exponens, his verbis: *nec ultra merx vtrumque, ſed alterum pretium vocatur.* Quare extra dubitationis omnis punctum vindicamus, in pecuniae datione accipientem nummorum corporis fieri dominum, licet reſpectu dantis remanere poſſit ipſius aeſtimationis proprietatis. In pecuniae enim dati-*



datione non ad ipsa respicitur nummorum corpora, quae dantur, sed ad valorem, publica auctoritate definitum, accipiensque pecuniam in usus suos conuertere non potest, nisi singulorum numerorum proprietatem consequatur. Quibus positus ad intelligendum facile est

II) *In pecuniae numeratae datione duplicem spectari proprietatem, alteram, in nummorum aestimatione, quamque retinet creator, quantumvis nummos alii dederit, alteram, in nummorum materia, quae in pecuniae datione in accipientem transfertur.* Sed iam ingens mihi dissensionum obtruditur cumulus! Eheu dominium fortis! Dominium rei fungibilis! Quanta haeresis? Quae cauillatio? Nostine dominium istud cerebrinum dudum a cordatoribus iam radicitus fuisse extirpatum, dementiaeque manifestae specimen esse quantitatis sine corporibus, quibus inexistat, proprietatem creditori tribuere? alto clamore obmouentium aduersariorum cohortes audio videoque. Sed inturbata adhuc rem sustineo cogitationum serie. Nondum conclamata sunt vasa. Nec metuenda nobis tela. Nec manus cum vulgo conferere animus. Ex castris POMPONII, PAVLLI, immo ipsius PAPINIANI militare decus esto. Delirantis ingenia esse, proprietatem quantitatis aestimationisue nummorum creditori ita ad scribere, ut extra nummorum corpora sola aestimatio illa existere possit, lubens largior. Verum respectiue vtramque cogitari posse proprietatem, rerum notiones deponunt, non refragante veterum Iuris auctorum doctrina. Obiectum proprietatis antiqua quidem primitus iurisprudencia rem corporalem, quae substantiae physicae proprie capax, solum exhibuit, sed ad alias, quas incorporales dicunt, paulatim successu temporis extensa est notio. Proinde purioris doctrinae sunt PAVLLI meditationes in *l. i. D. de contr. emt.* quas §. praec. recensui, de pecuniae natura egregie differentis: *enque materia, forma publica percussa, usum DOMINVMQVE non tam*

ex substantia praebet, quam ex QUANTITATE. Ictus respectum, quem ad patrimonium nostrum habet pecunia, definiturus, duo prorsus a se invicem distinguit in dominio, & quod secundum veteres idem est, in proprietate nummorum, alterum, quod ex quantitate sua, seu aestimatione publica lege imposita, & quidem principaliter nobis dominium praebet pecunia, alterum, quod in corporibus, quibus substantiam propriae adscribebant, nummorum locum sibi vindicat. Nec absurda PAVLLI commenta. Nonne enim res incorporeales obiectam dominii efficere possunt? Quis unquam Ictorum tam corporalem notionem digerere potuit, dominium proprietatem quasi rebus corporalibus inhaerere, aut, si cum philosophis loqui mauis, inter accidentia solum corporalis substantiae esse. Sola ignorantia, quid iuris auctores sub proprietatis substantiaeque verbo intellexerint, monstruosam definiendi rationem veluti per manus tradidit. Certe substantia rei dominiumque vsui eiusdem nudo in arte nostra opponitur. Hoc enim solummodo alicui competente, illius disponendi facultas valde restricta est. Sed rei proprietate gaudens, quascumque de rebus dispositiones moraliter possibiles iure suscipit. Iam pecunia non tam materia nummorum, sed publica ac perpetua aestimatione illis imposita constat, adeoque nihil impedit, quominus creditor, qui ab alio certam exigere valet pecuniae summam, de eadem omni modo disponat, ac vi proprietatis aliarum rerum fieri potest. Nec obiectorum discrimina proprietatis dominium differentiam gignunt, aut eam plane tollunt. Sed ut omnes penitus eximamus scrupulos, ita rationes subducimus: proprietatis est ius, iura sunt facultates lege competentes, seu, quod idem est, morales, hinc quatenus proprietatis alicui tribuitur, eatenus illi competat necesse est facultas in rei substantiam moralis, adeoque illius virtute quascumque dispositiones de re etiam citra eius vsum suscipere valet. Hoc enim proprie est,

quod Ictri substantiam dixere. Iam vero creditor, qui alteri centum mutuo dedit, licet nummorum corpora apud alium exsint, de pecuniae summa omni modo disponendi iure gaudet, quae certe proprietatis signa sunt; potest in aliquem transferre, vendere, alteri donare. Qui igitur fieri potest, ut proprietatem ad solas res quae sensibus externis percipiuntur, adstringamus? Qualitas praecipua est rerum fungibilium, ut in illis ad corpora non reflectamus, sed tantundem nobis in proprietate illorum idem est (§. 2.). Quantitatem in pecunia separate absque corporibus cogitari posse, POMPONIVS in L. 19. §. D. de cond. indeb. & PAPINIANVS in L. 91. §. 1. D. de solut. satis manifeste docuerunt. Verum iam non diutius inhaerebo vberiori argumentorum expositioni, quibus aduersae DD. visiones debellari possent. Sed, qui rerum ex notionibus causam perspicere valet, superstitionas in tenebris errantium diuinationes flocci habendas esse mecum iudicabit.

III) *Aestimatione nummorum vel aucta vel deminuta non potest reddi tantundem aestimationis.* Etenim si reddere velis tantundem corporis, quam accepisti, aestimatione monetae deinceps vel aucta vel deminuta, plus minusue aestimationis redderes, quam accepisti, & e contra si restitueres tantundem valoris, quantum accepisti, plus minusue nummorum corporis, ut restituas necesse est. Quare impossibile est, sub hac hypothese idem aestimationis simul & corporis reddere. Adest igitur inter aestimationem nummorum atque corporum numerum conflictus. Iam quod praestantius est, praefendum erit. Verum sine omni controuersia in pecunia numerata aestimatio seu valor, publica auctoritate impositus, praeualer materiae (§. 2.) adeoque in hoc casu debitor tantundem aestimationis, in obligationem deductae, soluens, suae penitus satisfacit obligationi. Quo pacto etiam luculenter adparet.

IV)

IV) *Debitorem, qui eandem aestimationem soluit, nec aliud pro alio, nec minus ac debet, solvere.* Quando enim eandem, quam promissit, aestimationem soluit, illud soluit, an quod solvendum obligatus fuit. Sed aestimatio tantum fuit in obligatione. Hinc, qui eandem aestimationem soluit, nec aliud pro alio, nec maius minusve soluit.

§. V.

Casus monetae mutationis.

Duo ad nummos requiri constitutiva, alterum, materiam, ex qua cuduntur, alterum, publicam aestimationem, sine qua pecunia nulla obversatur, quaeque in nummis numerus & quantitas dicitur Iure civili (§. 3.), iam tradidi §. praec. Imperantis est, definire ex quam materia cudendi sint nummi. Eiusque est, singulis monetae speciebus aestimationem seu valorem publicum statuere, quo in commercio negotiisque civium constarent. Quare ad intelligendum haud difficile est, rei monetariae curam ad haec duo capita redire, quae si lege definiuntur, *norma rei monetariae* inde oritur, ex qua eiusdem rectitudo indicanda est, quamque *monetae bonitatem* vocare vulgo consuevere. Hinc monetae bonitas est *convenientia valoris materiaeque eiusdem cum norma lege definit.* Sed non semper hic bonitatis metalis conceptus usu servatur, cum ipse valor monetae materiaeque, abstrahendo prorsus a relatione illius ad normam rei monetariae, huius bonitatis nomine saepissime licet valde improprie veniat. Iam vero circa monetam, vel eius materiam, qua constar, vel eius valorem aestimationemue consideramus. Priori in casu bonitas eius *interna*, posteriori autem *externa* spectatur. Interna bonitas monetae vel quoad materiam metalli, ex qua perfecta est, vulgo *das Korn*, vel quoad pondus eiusdem, vulgo *der Schrot*, e. g. quot floreni ex marca Colonienfi cudendi sint; ac quanti ponderis singuli floreni esse





esse debeant. Vsum loquendi, quem adoptauimus genuinum esse, vel sola *Const. Elector. Part. 2. const. 28.* docet, verbis: *Da der Valor und der Werth, und bonitas extrinseca verändert, & deinde also auch wenn Schrot und Korn und also bonitas intrinseca an der Münze verändert wird.* Quibus positis facili negotio concipitur, *toties monetae bonitatem externam mutari, quoties aestimatio eius vel augetur vel minuitur.* Bonitatis vero internae mutatio duplici modo contingere potest: 1) si pondus monetae legitimum adimitur, eadem metallorum massa remanet; & 2) quando ex materia, quam rei monetariae norma definiuit, meliori metallo admixta, nummi euduntur. Sed omnino fieri potest, monetam interne tam quoad pondus quam respectu materiae qualitatis, simul mutari.

§. VI.

Vicissitudines monetae mutationis.

Vtriusque externae & internae mutationis monumenta perquam plura exhibent moratiorum gentium de rebus gestis annales. *PLINIUS hist. libr. 33. cap. 3.* librae pondus aeris imminutum esse bello Punico, testatur, constitutumque esse, ut asses sextantiario pondere ferirentur, quinque inde partes lucri factas, dissolutumque aes alienum, postea *Q. Fabio Maximo* Dictatore asses vnciales factos, dimidiumque rempublicam sic lucrata fuisse; Mox lege *Papiria* semunciales asses factos, & denique *Liuium Drusum* in Tribunatu plebis octauam partem aeris argento miscuisse. In Germania cum diu olim multumque, antequam *Ferdinandus I.* scepra tenuit, inter varias vicissitudines fluctuaret rei monetariae cura, vsque dum in Comitibus Augustanis anno 1539 prima conderetur rei monetariae germanicae ordinatio. Sed tam deprauatae inueterataeque consuetudini insufficiens medela. Definita enim quidem aurum inter & argentum proportione per hanc monetariam legem, deter.

dereterminatoque cuiuslibet nummi pondere iuxta marcam Colo-
niensem, pariter ac qualitate materiae ex nobilioribus metallis,
inferiori quodam saltem leuiter admixtis, compositae: mox
tamen circa initium Seculi XVII. profusam sibi sumserunt licen-
tiam monetas minoris valoris, quoad internam bonitatem
valde contaminatas tanta copia fabricandi, vt nummi maiores,
iusti ponderis metallique, vel plane inde confumerentur, vel
aestimatione sua ita adcrefcerent. vt summa rei monetariae per-
niciis, quam Germania vel vnquam experta est, *die Ripper-
und Wipper-Zeit*, inueheretur, atque aevi huius calamitati-
bus, si quid mei iudicii est, famosissimam, quae & in sequenti-
bus temporibus penitus aboleri & eradicari haud potuit, di-
stinctionem, inter *species & current-Gelde*, potissimum nata-
les suos debere, compertum habeo. Equidem tanto malo ob-
uiam ire studuerunt Caesares Germaniaeque Proceres, maxime
cum conuentiones Zinnensis ac Lipsiensis primum inter serenif-
simas, Saxoniam, Brandenburgicam & Brunsvicensem Do-
mus inita, conclusis deinceps Imperii, exceptis saltem quibus-
dam capitibus, aut vltiori Comitiorum deliberationi seruatis,
tanquam normae rei monetariae vniuersales firmatae atque sta-
bilitatae fuerint. Sed nihilo minus irriti omnino fuerunt cona-
tus; et post tantas vicissitudines ad huc hodie desideramus rei
monetariae emendationem certitudinemque, cum nouioris mo-
netae genera in dies magis magisque contaminari, veteris au-
tem immensum in modum aestimatione augeri, quotidiana fere
testatur experientia.


§. VII.

*Confectaria quaedam secundum notiones §. praec. euolutas
deriuantur.*

Collatis iam internae monetarum externaeque notioni-
bus cum illis, quae §. 4. subministrauimus, principiis, absque
omni prorsus negotio conficimus.

C

) To-



1) *Toties bonitatem pecuniae externam solum in obligatione esse, quoties interna bonitas, qua nimirum pecunia soluenda consistere debeat, legitima privatorum dispositione non determinata fuit.* Bonitas externa monetarum est illa, quae ex valore, siue aestimatione publica nummis imposta, oritur (§ 5.) Verum aestimatio publicae monetae formam eius constituit, cuius auxilio illa ab omnibus aliis rebus distinguitur, merciumque numero eximitur (§.3.), materia vero, ex qua singuli cudentur nummi, minus principaliter in pecunia numerata spectatur (§ 4.). Quod & Pauli commentationes luculenter confirmant, verbis supra expositis: *eaque materia forma publica percussa usum non tam ex substantia praebet, quam ex QUANTITATE.* Hinc ponamus, aliquem ad praestandam certam pecuniae summam obligatione teneri, internamque bonitatem, qua pecunia soluenda gaudere debeat, legitima privatorum dispositione non determinatam esse, consequens sane est, debitorem, qui pecuniam soluit secundum valorem monetae publicum, suae satisfacere obligationi, nihilque amplius quidquam ab eo iure exigi posse, dum tantundem soluit, quod praestare tenebatur. Quo circa, si etiam secundum bonitatem, quae tempore contractus aderat, internam, nummos creditor exacturus esset, debitorem privata dispositione ad illam servandam simul adstrictum fuisse, necesse est. Sed quoad internam nummorum qualitatem nihil inter partes determinatum fuit (per hypoth.), adeoque in hoc casu creditor, qui nummos accipit eiusdem valoris, prouti publico usu aestimantur, id certe consequitur, quod illi debetur. Quibus itaque positis, *nummorum bonitatem internam non in obligatione esse, nisi dispositione expressa ad illam praestandam debitor obligatur.* Atque eo magis hypotheseis, quam formauimus, Iuris analogiae principiisque conuenit, cum nemo recusare possit, ut suscipiat monetam iusta Principis percussam, quam subditorum obligationem olim etiam san-

sanctione poenali munierunt, idemque ad ARINTHEVM AV-
 GVSTI L. 3. C. de vet. num. potest. rescripserunt: *uniuersos*
auctoritas tua proposito edicto commoneat, obryzatorum omnium
solidorum VNIFORME PRETIVM postulare, capitis scilicet suppli-
cio puniendo, qui vel iussa maiestatis auaritia coecitate contem-
serint, vel aeternales vultus, dum fraudibus studet, duxerit vio-
lare. Simili modo rescripserunt VALENTINIANVS & VALENS
 AVGG. in L. i. C. eod. Nec turbat, quod l. c. Imperatores ad-
 iecerint: *modo vt debiti ponderis sint, & speciei probae.* Nam
 cuius ponderis esse debeant nummi, cuius speciei materiaeque
 decernit Imperans, debitumque tandem pondus & species ma-
 teriae proba solum sunt, quae voluit ac ordinauit Princeps.
 Eius est, vtramque nummorum bonitatem definire & si valor
 illis semel auctoritate Principis impositus est, perpetuam acce-
 pisse aestimationem, certum est. Non est, quod moneam, in
 ea significatione perpetuam aestimationem illis non tribui, ac
 si illa nunquam mutationi obnoxia sit, quod vtrique Principum
 ex decreto fieri potest, & saepissime fieri, saepiusque iam fa-
 ctum esse, vel sola temporum nostrorum ratio testatur. Sed
 ideo dicitur perpetua aestimatio, quod a priuatorum arbitrio
 plane non pendeat. His igitur ex principiis, quae vera mone-
 tae pecuniaeque natura exigit, luculenter constare credo, quam
 peruersa sit illorum doctrina, quantumuis illam fere commu-
 nem dixeris, & quod ego Iurisprudentiae dedecori reputare
 non ambigo, qui censent, pecunia simpliciter in obligationem
 deducta, eius semper bonitatem internam, quae tempore nego-
 cii gesti adfuit, simul in obligatione esse. 10. PHIL. SLE-
 VOGT de rei numariae mutat. & augm. cap. 2. §. 9. seqq. HENR.
 MELCH. SCHÜTTE in diss. de eo, q. i. e. circa restitutionem mutui,
 mutata monetae bonitate §. 9. seqq. AVG. LEYSER Spec. 529. med. 15.
 HENR. BERGER in Oeconom. Iur. aliique, quorum vero argumen-



ta mox dissentiam. His probatis atque animaduersis, eadem prorsus ratione propugnare audeo.

II) *In illo etiam casu, quo genus monetae in solutione praestandum inter partes definitum est, debitorem non praecise obligatum esse, monetarum genus interna nummorum bonitate eadem, quae tempore contractae obligationis adfuit praestare, sed, si forsitan, tempore inter contractum & solutionem intermedio, eius bonitas interna, vel quoad materiam, vel quoad pondus mutata fuerit, sufficit, debitorem determinatum monetae genus praestare in eadem bonitate, qua tempore solutionis faciendae constat.* Hoc enim in casu nihil inter partes definitum est, praeterquam genus nummorum in solutione praestandum; indeque non sequitur, definitam simul esse bonitatem internam, qua genus hocce monetae exsoluendum sit. Ponamus, ante decem annos ita initam fuisse conventionem, daß Seius dem Lucio wegen der abgetretenen Lehngüter jährlich 600. Rthlr. in Golde bezahlet solle, ponamus porro monetae aureae bonitatem internam ad mixtionem inferioris metalli deinceps contaminatam esse, Seius certe summam debitam in aureis recens culsis offerens, suae obligationi plene satisfacit. Praestat enim convenientem pecuniae summam, praestat definitum monetae genus, idque soluit illo seruato valore, qui publica auctoritate impositus est. Bonitas enim interna, qua tempore conventionis aurei constabant, simul in obligationem non deducta erat, adeoque omnis deficit iuris ratio, ex qua debitor ad eandem bonitatem internam, quae tempore obligationis ortae adfuit, praestandam obligatus esset. Equidem vulgo perhibent dissentientes, monetam non vnice ex valore imposito, sed ex materia pariter atque pondere aestimandam esse, illamque eo pretiosorem esse, quo massa, qua constat, sit ponderosior nobiliorque, indeque aestimationem eius externam oriri, atque ideo eandem, quae tempore negotij gesti fuit, internam bonitatem praestandam esse, inferunt.

ANDR.

ANDR. FACHINEVS *controu. iur. cap. 10.* FERDIN. VASQVIUS
controu. illustr. Lib. 1. cap. 2. n. 7. Sed prius lubens concedo,
verum consequentiam nego. Monetam sine materia non exi-
stere certum est, sed vtriusque bonitatis, valoris nempe mate-
riaeque qualitatis, determinatio ad negotia eius spectat, qui
ad clauum reipublicae sedet. Hoc facto nemini ciuium suorum
integrum manet, monetam nouam, quae bonitate interna ab
antiqua se distinguit, recusare, adeoque pacto aliaque dispositio-
ne valida opus est, si debitorem in certo monetae genere, cer-
taque bonitate eius interna seruata constringere velimus. Ob-
loquitur SLEVOGT l. c. §. 8. *Nemo dubitat, inquit, quin apud
exteras gentes, ex quarum usu & commercio discernendus verus
nummi valor impositus, pluris futurus sit aureus, qui plus habi-
turus sit ponderis, quam qui minus. Plus etiam apud eos potest
magnitudo & pondus materiae, quam auctoritas extranei Princi-
pis, cuius sit character.* Sed sine omni negotio hoc SLEVOG-
TIO largior, quoties cum peregrinis gentibus negotium est.
Inter gentes moneta tantum ratione materiae bonitatis ponde-
risque obuersatur, adeoque potissimum vt merx alia confide-
ratur. Et si dicendum, quod res est, monetae inter gentes
publicam aestimationem deficere, nisi foederibus pactisque inter
quasdam gentes percussis, de monetarum indole ac valore trans-
actum sit. Alia autem omnis ratio obtinet inter subditos vnus
eiusdemque Principis, qui nummos sic formari iussit. Et de
eius modi causis tantum differendi locus est. His autem bene
intellectis, iam citra pulueris iactum aduertimus,

III) Creditorem, qui aut 1) certum genus monetae, aut
2) certam bonitatem eius internam deposcit, aut & 3) alium valo-
rem monetae exacturus est, quam is est, qui currit tempore prae-
standae solutionis, pacto adiecto de his omnibus sibi prospicere debere.
Natura enim pecuniae est, vt aestimatione sua publica fungatur
(§. 3.). Quare qui eandem soluit aestimationem, ad quam sol-
uen-



uendam adstrictus est, suae satisfacit obligationi suoque creditori. Verum utique fieri potest, aliud simul pacto adiecto posse determinari, quod quidem ex natura rei sua sponte non sequitur, cum illa tamen consistere potest. Quae autem ipsi negotio non ipso iure sunt, ad ea, ut adsint, pacto eum in finem adiecto aliaue legitima dispositione opus est. Quo circa manifestum est, *contra creditorem fieri interpretationem*, quoties aut certum genus monetae, aut singularem internam bonitatem, aut denique valorem, qui currentem iam excedit, a debitore suo, qui ad haec omnia specialiter obligatus non est, praetendit urgetque. Singulare enim quid deposcit, quod ex monetae pecuniaeque numeratae natura non adpareret, adeoque clarius loqui debuisset, qui singularem negotii qualitatem quaerit. Quibus autem neglectis, suae imputet id incuriae, maxime, si verba pacti concepit, aut concipi curauit. *L. 39. D. de pactis.*

§. VIII.

Casus monetae soluendae, circa mutationem eiusdem obuenientes, indicantur.

Tandem disquisitione non adeo indigna succedit quaestio, cum rei monetariae mutationibus arctiori nexu iuncta: *utrum in solutionibus tempus contractus, an vero tempus solutionis spectandum sit?* quae inter innumeras DD. dissensiones, ut fieri solet more maiorum, in hunc usque diem fluctuat, ac toties contentionum serra reciprocatur, quoties vel leuissima, ne dicam de vniuersali, contingit nummorum mutatio. Non desunt, qui in omni casu, nulla prorsus discriminis habita ratione, ad contractus perfecti tempora recurrendum esse, satis operose contendunt. Non desunt vero, qui contraria prorsus via incedunt, nullumque aliud tempus, quam solutionis faciendae, admittunt. Tandem non deficiunt eriscundi, qui mediam amplectendo rationem, rumpunt filum dissecantque nodos plerum

rumque magis gladio, quam vt soluant. Sed a ianua aberrarent, qui uni alterius sic pugnantium DD. opinioni calculum adiciere. Equidem dissōnae inter se sunt illorum visiones, nihilque commune inter se habent, praeterquam, quod minus determinatis notionibus principiisque, interpretatione legum infelici maximeque interdum sinistra, constructam theoriam profiteantur. Sed in alia omnia iam abeundum esse, ipsa rei natura, & liquida iuris decreta efflagitant. Quamvis enim pecunia numerata ex potissima sua aestimatione, publico Imperantium arbitrio ordinata, formam accipiat (§. 3.) adeoque, qui monetam soluit tempore solutionis receptam iustamque, suae semper obligationi satisfecisse videatur, (§. 4.) merito tamen discrimina negotiorum, quibus pecuniae solutio in obligationem deducitur, evolvenda sunt. Quamobrem, vt determinatis absoluaemus propositionibus dogmatum nostrorum rationes, singulos diuersosque casus a se inuicem separabimus. Proinde, si aliquem ad certam pecuniae summam soluendam obligatum esse ponimus, vel certum simul monetae genus inter contrahentes definitum est, vel minus, seu generali pecuniae numeratae amplexu quantitas eiusdem in obligationem deducta est v. c. Si Seius centum thalerorum Caio post sex menses se soluturum esse, promisit. Quare duplicem iam vides hypothefin, quam rite, in casu tibi proposito, te distinguere oportet. Prior vero iterum distinguenda est, aut enim simul aestimatio adiecta est, qua singulae monetae species in solutione facienda constarent, aut simpliciter tantum genus monetae, sine adiecto eiusdem valore, in obligationem deductum est. Magni sane momenti est distinctio, & profecto non ingenii exercendi caussa excogitata est, sed discrimen in adplicatione valde decisivum, momentumque totius caussae complectitur. Finge, sequens chirographum: Ich Eubezunterschriebener bekenne, daß vom Lucio 200. Rthlr. an guten Golde empfangen habe, und verspreche



spreche solche Summe binnen Jahr und Tag in alten vollwichtigen Louis-d'ors, das Stück zu 5. Thaler, den Thaler zu 24. Gr. gerechnet, wieder zu bezahlen, quod exemplum prioris subministrat casus. Sed lege sequens locationis conductio- nis instrumentum, ibique monetae quidem determinatum genus, attamen sine valore monetae specierum, verspricht Venulejus für die Nutzungen des ihme solchergestalt verpachteten Ritter-Gutes, als ein wahres Pacht-Geld, jährlich die Summe von 1200. Rthlr. in guten vollwichtigen Louis d'or zu zahlen. Quo pacto, si monetarum iam contigit mutatio, litigia inter creditorem & debitorem orta, nulla componuntur ratione solida, nisi oblatos, & iam decidendos casus exegeris ad tria haec discrimina, vti mox demonstrabimus. Verum enim vero alius iam & quartus accedit casus, si nempe certus monetae specierum numerus ita in obligationem deducitur, vt singulae species iam exsoluendas sint. Fingamus enim, testatorem heredi iniunxisse legati praestationem; Dem Seio 400. Stück Ungarische Ducaten auszuführen. Quibus igitur collatis, quatuor nobis obuersantur obligationis momenta, circa monetariae rei mutationem, quae contractus celebratos subsequitur, probe seruanda 1) si sola pecunia numerata, absque certo monetarum genere expresso, in obligatione est, 2) si certum genus nummorum aestimatioque specierum definita: 3) quando genus quidem monetae, absque tamen aestimatione, determinatum in solutione praestandum est, 4) si singulae nummorum species in obligationem deductae fuerunt. Et his discutiendis iam operam nauabimus.

§. IX.

Quatuor obligationis discrimina §. praec. exposita generatim discutiantur.

Quemadmodum ita, vt momentum totius, quam defendo, causae extra dubitationem vindicarem, necessariam vtiq; sit,



fit, vt a vaga argumentandi ratione, qua tot tantique viri col-
 lapsi sunt, prorsus me absteineam, ira profecto ea, quae §. praec.
 subduxi, rerum discrimina, quaeque in monetarum bonitatis
 mutationibus omne ferunt punctum, vberiori commentatione
 figillatim illustrabo, & quantum ad debitoris obligationem per-
 tinet, hac §. generatim declarabo, paginis autem in sequentibus
 ad praecipua contractuum negotiorumque genera deinceps ad-
 plicaturus.

I. Si igitur sola numeratae pecuniae quantitas in obligatio-
 nem deducta est, NULO MONETARVM GENERE ADIECTO, de-
 bitori integrum est, eiusque solo arbitrio relinquendum, quoniam
 monetae genere soluere velit, modo 1) in eiusmodi moneta, quae tem-
 pore solutionis publice reprobata non est, eamque 2) secundum valo-
 rem praesentem solutionem praestet. In hac enim hypothesi debitor
 praeter pecuniam numeratam nihil praestare tenetur, & qui
 conuentam summam soluit, obligationem suam impleuisse cen-
 sendus est. Iam vero in eiusmodi casu debitor neque ad cer-
 tum monetae genus, neque ad certam bonitatem nummorum
 internam in solutione seruandam obligatus est. (§.7.) conse-
 quenter ab eius dependet arbitrio, quoniam monetae genere so-
 lutionem praestare velit. Quare, si nummos tempore solutio-
 nis publica fide receptos soluit, bonitatis illorum internae
 nulla amplius habenda est ratio. Proinde, quantumuis mo-
 neta recens percussa eiusdem ponderis materiaeue plane non
 sit, ac ea, quae tempore obligationis constitutae expende-
 batur, illa tamen exigi nequit, nisi specialiter ad illam debitor
 se obligauerit. Quo circa etiam, si ponimus, mutatam quo-
 que fuisse monetae antiquae bonitatem externam, quod sem-
 per in negotiis commercioque hominum contingit, quando no-
 uiores nummi vilioris materiae, inferiorisue ponderis inuehun-
 tur, debitor sane & in hoc casu non secundum valorem anti-
 quum suo creditori tenetur, sed aucti iam valoris vtrique ratio-
 nem

D

nem



nem habere potest in solutione, e.g. si singuli aurei quinque thalerorum pretio olim aestimarentur, qui praesenti aeno decem thalerorum pretio constant, debitor sane, in praesenti solutione, aestimationem praesentis temporis iure meritoque in suos conuertit vsus. Eadem fere ratione alteram quoque hypothesin exstruendam esse, si certum nempe genus monetae quidem, sed sine adiecto valore in obligatione positum est, compertum habeo, eamque ob causam iam tenendum esse reor:

II. *Quoties certa pecunia summa, simulque certum monetae genus, e. gr. 100. Rthlr. in alien vollwichtigen Louisd'or, attamen sine valore definito, quo singulae species in solutione venire debeant, in obligatione ponuntur, debitor quidem in definito monetae genere summam conuentam soluere obligatus est, sed singula monetae corpora nihilominus secundum praesentem illarum aestimationem, si forsan inter ea bonitas externa huius monetae aucta fuerit, iure optimo in solutionem imputare potest.*

Etenim in hoc casu bonitas quidem cuiusdam generis monetae interna, quam a debitore praestandam esse contendit creditor, sufficienter definita est, sed quoad valorem horum numerorum, siue bonitatem externam nihil inter partes determinatum est, adeoque iuxta pecuniae numeratae naturam sola decisio, quoad hoc momentum, formanda est. Verum enim vero pecuniae numeratae ea est indoles, vt aestimatione publica constet (§. 3.) quam igitur si debitor in solutione praestat, id certe soluit, ad quod soluendum obligatus est. Proinde, si nihil, quoad internam bonitatem, vel externam inter partes specialiter actum sit, secundum regulam priorem lites desuper oriundae componi debent, quae vero deposcit, vrad praesentis temporis, vbi de solutione praestanda quaeritur, valorem monetae perspiciamus. Sed pacto cum in finem adiecto obligationem debitoris magis determinari posse, vulgati iuris est, expedit-
que

que pacifcentibus, ut verba obligationis distincte concipiant, quia alioquin contra creditorem, qui nempe regulam, quam pecuniae natura constituit, transgreditur, & singulare commo- dum, cum nimio forte debitoris detrimento coniunctum, sibi in hoc casu conquirere studet, interpretatio contractus facienda esset. Quibus perspectis, porro ad intelligendum facile est:

III. *In illo casu, ubi non certum solum pecuniae genus, sed etiam singularum specierum aestimatio in obligationem deducta est, debitorem, tam ad conuentum monetae genus, quam & ad adiectam singularum nummorum aestimationem, in solutione praestandam obligatum esse; quantumuis valor veteris monetae etiam immensum in modum auctus, monetaeque recentioris bonitas interna valde diminuta fuerit.* Quamuis enim pecunia in obligatione posita, ex regula propter aestimationem illa sit, in hac tamen hyporhesi pacto expresso aliaque legitima hominum prouisione aliud definitum fuit, & cum nulla iuris ratio refragetur, quo minus eiusmodi dispositioni standum sit: consequens certe est, ut debitor praeter quantitatem promissam, in hoc casu, & definitum nummorum genus, & adiectam illorum aestimationem in solutione praestare teneatur. Idem confirmat PAVLLVS in L. 50. *D. de Solution.* Iurisconsultus proponit speciem, ubi debitor aurum promisit, aes autem soluit. Quaerebatur, vtrum debitor aes soluendo liberaretur? PAVLLVS negat sequentibus verbis, *Si, cum tibi aurum promississem, ignoranti, quasi aurum, aes soluerim: non liberabor.* Quare tenor conventionum, aut quid aliter inter partes actum sit, in hoc casu praecipue inspiciendum est, idemque etiam, eodem iure, in ea hypothesi propugnamus, quando

IV. *Singulae nummorum species in obligationem deductae sunt, quo casu nulla earum valoris, quo tempore solutionis fungantur, habenda est ratio.* Illud enim debet esse in solutione,

D 2

quod




quod est in obligatione. Jam vero nummorum species singulae in hoc casu in obligatione positae sunt. (vid. §. 7.) adeoque debitor a sua obligatione se liberare non potest, nisi ipsas nummorum species soluar.

§. X.

De solutione pecuniae mutuatitiae post monetae mutationem.

Rerum fungibilium pariter atque pecuniae numeratae notionibus, indeque dependente debitoris obligatione in solutionibus generatim (§. 2-4) expositis, ut & monetae mutationibus, tam quoad bonitatem externam, quam internam, & quae inde proficiscuntur, obligationis discriminibus (§. 5-8.) adumbratis, tandem properandum est ad legitima, in diuersis contractibus negotiisque, accedente nummorum bonitatis mutatione, statuenda principia. Verum enim vero vel ideo ante omnia discutienda nobis videtur solutio pecuniae mutuo acceptae, quod infinitis fere difficultatibus dissensionibusque maxime perturbata fuerit, cum in reliquis omnibus contractibus ad veritatem propius sensim accesserit communis interpretum schola. *Mutui naturam optime explicuit, totius Iurisprudentiae solidioris aeternum decus, IACOBVS GVIACIVS Obseru. Lib. XI. cap. 37.* Et constat, ad eum contractum eiusmodi res requiri, quae dari, consumi & tamen restitui possunt, quaeque sine respectu huius illiusue corporis, pondere, numero ac mensura valent, utpote in quibus non eadem species, sed genus attenditur. Ita ex PAVLI in l. 2. §. 1. *D. de Reb. cred.* definitione aliisque Iuris locis in hanc rem protritit adparet, quibus consentit CALVS *libr. III. tit. 2. §. 1. Fragm.* Illas res fungibiles ex loquendi vsu diximus (§. 2). Mutuum non nisi in rebus fungibilibus consistere potest. Non est, quod moneam, Iure Romano mutuum esse gratuitum, hodie autem vsuras admittere, earumque pro-

promissione illud in contractum stricti iuris non amplius dege-
 nerare, ac Iure civili factum est. AVGVSTIN. LEYSER *Specim.*
130. medit. 3. mutuum adhuc hodie gratuitum praesumere iuber.
 Id LEYSERO ex facili largior, mutuum & nostra aetate gratis
 concedi posse. Sed si ex eo, quod pluribus casibus fieri solet,
 certe praesumptio desumenda, LEYSERVM rationes suas male
 composuisse, palam est. Me quod adinet, praesumptionem
 gratuiti mutui pro qualitate personarum demum censer. Finge,
 te a iudaeo, argentario & id genus foeneratore, mutuum sum-
 sisse pecuniam, nullumque foenus te promississe, an ideo gra-
 tuitum praesumendum erit? Valde dubito. Sed iam me taedet
 minutiarum harum. Quod vero ad debitoris obligationem ad-
 tinet, illa restitutione tantundem eiusdem generis absoluitur.
Sed quomodo hac obligatione iam se expediet debitor mutuatitiae
pecuniae? Otrinuit fere vsu vulgata doctrina, eandem & pe-
 cuniae quantitatem, & ex eodem monetae genere, quo debi-
 tor accepit, restitui necesse esse. Rei fungibilis notionem id de-
 poscere, sibi aliisque suadent. Harum natura duce PAVLLO
l. c. est, ut tam in genere suo functionem recipiant per solutionem,
quam specie. Quamvis propter verba *ICti*, quae intricatiora
 sunt, prolixè videas velitari interpretes, attamen consuetudine
 fere inualuit, ea sic accipienda esse, vt, post antiquiores non-
 nullos, accepit HVGO DONELLVS in *Comm. ad b. l. magis* in
 genere suo solutionem recipere per *functionem, quam in specie.*
 Sed CORNELIO van BYNCKERSHOEK, Iurisconsulto humanissi-
 mo, alia illorum interpretatio magis commoda viderur, quae
 cum verbis PAVLLI eiusque dicendi ratione optime convenit.
 Integra *ICti* saluaque seruat verba Vir summus, atque subintel-
 lecto *tam*, quod & saepius sub expresso *quam* subintelligere li-
 cet, vt iam fusius alii perorarunt, planam eius reddit mentem,
 ac si PAVLLVS dixisset, mutuum duataxat in fungibilibus con-
 sistere, quia ea, dum soluuntur, *tam* in genere satisfaciunt



(cum alterum alterius vice fungatur) *quam*, si in specie redderentur. Omnium autem, quas PAVLVS expertus est, emendationum longe pessima est, quam IAC. GOTHOFREDVS *de funct. & aequal. in mut. pag. 28. seqq.* induxit, qui pro *quam specie* perperam legit *aequam specie*, h. e. aequae bona. Sane, si vel vnquam infelici Critices libidine casta Themidos sacraria quis penetrare ausus fuit, certe Te, GOTHOFREDE! huius criminis in hac doctrina informanda accusamus. Quanam fronte tantum Tibi arrogas? Cur PAVLLO tuum *aequam specie* obtrudere studes, qui ab hoc sensu longe est alienus? Quanta audacia! quae grassatio? Substituas tuum *aequam specie*, quid veri intellectus inde? certe nihil, ferro medicinam quaeris, vulnera & cicatrices PAVLLO infers, cuius integritas antea palam erat. Iurisconsultus neutiquam in ea est haeresi, ac si debitorem semper in specie aequae bona reddere oporteret. Non omnium rerum fungibilium eadem est ratio ac eadem constitutio. Magnum vtiq; inter pecuniam numeratam, aliasque res, quae genere suo funguntur, cernitur discrimen, si peculiarem illarum naturam consideramus. Quibus vero discussis, nunc quaestioni, *utrum debitor pecuniam mutuo acceptam in eadem bonitate & ex eodem genere, quo accepit, reddere teneatur?* satisfacere possumus. Veluti, si debitor centum in moneta aurea mutuo accepit, an & in eodem genere tantundem reddere stricte obligatus sit? Si pecuniae indolem; quam supra exposui, perpendimus, rationes nostras ita subducendo, totum conficimus negotium, abstractionem facturi iam ab eo, quod specialiter inter partes gestum est. Pecunia quantitatem suam ex publica ac perpetua aestimatione sortitur (§. 3.) quam ob rem, qui eandem aestimationem reddit, quam accepit, tantundem restituit. Sed quoad genus bonitatemque nummorum adesse videtur nodus, quem igitur vt magis, quam secando, soluamus, operam nauabimus. Bonitas monetae est vel interna, vel externa

terna

terna (§. 5.) adeoque quaestio oritur, vtrum debitor vel in eadem externa, vel interna, pecuniam mutuo acceptam, vel denique vtraque simul seruata bonitate, qua creditor illi dedit, reddere obligatus sit. Sequentem fingamus casum. *Seius anno 1755. a Lucio centum thal. accepit. Lucius hanc summam in moneta aurea numerabat. Singuli aurei tunc temporis quinque thalerorum pretio aestimabantur, & viginti aurei totam summam efficiebant.* Iam si ex eodem genere, eademque bonitate reddenda est pecunia mutuatiua, palam omnino est, Seium non aliter liberari, ac si 1) *in moneta aurea totum debitum, 2) in eiusmodi aureis, qui singuli anno 1755. quinque thaleror. pretio aestimati fuerunt, & denique 3) viginti species soluendo dederit.* Quo facto sane debitor tantundem ex eodem genere atque in eadem bonitate, tam interna, quam externa reddidit. Itane est debitoris mutuararii obligatio? Equidem communis DD. schola sic putat. Sed ego commentitium reputo. Pecuniae in dolens in aduersam me defecit sententiam. Causam iam recitabo. Et quidem demonstrabo, debitorem ex mutuo, 1) *neque ad soluendum ex eodem genere nummorum, quo accepit, nec 2) in eadem bonitate tam interna, quam externa, qua nummos mutuo illi dedit creditor, vlla iuris necessitate teneri.*

§. XI

Debitor non in eodem monetae genere pecuniam mutuatiuam soluere tenetur.

Quae quum ita sint, primum membrum §phi praec. *debitorem nempe ex mutuo ad summam mutuo acceptam, ex eodem monetae genere, quod accepit, soluendam, nulla iuris necessitate teneri, iam discutiendam est, quod construitur sequentibus rationibus.*

D in



D) *in mutuo pecuniae numeratae, qua talis, corpora monetarum non sunt in obligatione, sed quantitas eius sola aestimatione publica.*

II) *Alia moneta creditori reddi potest, ac illa fuit, quam dedit.* Priorem propositionem inde deriuamus, quod, si non ratione aestimationis publicae, sed respectu corporis in obligationem duceretur pecunia, tanquam merx alia mutua interueniret. Ponamus me aurifabro quatuor marcas argenti puri & infecti mutuo dare, ea lege, ut post quatuor menses tantundem argenti puri reddat. Nonne mutuum argenti hae speciei obuerfari concederes? Commodatum enim neuriquam, nisi talpa coecior sis. Ponamus autem, me centum thaleros in argentea moneta Caio mutuo dare, sub lege tantundem restituendi. Iam quid, quale discrimen inter haec mutua? Hoc est, nisi me omnia fallunt. In priori specie ipsum corpus argenti in obligatione est, atque tantundem argenti puri, quatuor marcas nempe reddere debet mutuarius, in posteriori autem argentum quidem quoque datum, sed quatenus pecuniae simul obiectum est. Hinc priori casu tanquam merx alia consideratur, sed posteriori in casu, qua pecunia numerata, h. e. quatenus forma publica percussa aestimationem perpetuam, Reipublicae ex decreto, recepit. Vtroque in casu vero qua res fungibilis spectatur. Quamuis enim in priori tanquam corpus in obligationem veniat, ideo tamen, qua species, a contrahentibus neuriquam spectatur, sed quatenus in genere suam functionem recipit per solutionem, cum creditori aequae satisfaciatur debitor, si aut idem argenti corpus in specie, quod illi datum est, aut ex eodem genere tantundem reddit. Iam, si ponimus mutuum pecuniae numeratae, tunc usus sane rei, quatenus forma publica percussa accepit aestimationem perpetuam, alteri conceditur, ita ut tantundem restituat, (§. 3.) consequenter tantundem ex eiusmodi re idem est intuitu patrimonii nostri (§. 2.) adeoque pecunia, intuitu huius publicae

caec

caae aestimationis, recipit functionem per solutionem; seu vicem eorum subit, quae data sunt. Finge ducenta, centum thaleror. in nummis aureis, & centum in argentea moneta, sane vnum ex his duobus mihi idem erit in relatione ad patrimonium. Quid igitur inde? Certe hoc: in pecuniae numeratae mutuo, ratione aestimationis publicae ea in obligatione posita est, hincque ad nummorum corpora in eiusmodi mutuo non adrenditur, nisi aliud specialiter actum sit, quod utique fieri posse, ex sequentibus paginis etiam luculenter constabit. Sed hic sermo solum est de natura mutui in pecunia numerata celebrati, quae licet dispositione priuatorum mutari possit, attamen pro regula tam diu praesumptio pugnat, quo contrarium non adparet. Pecunia in dato quodam casu, vbi mutuum celebratur, a contrahentibus vt pecunia numerata, & simul vt merx potest spectari. Sed posterius pactum adiectum supponit. Idem liquidis firmatur Iuris decretis. Pulcherrima est species, quam POMPONIVS l. 19. §. 2. D. proponit: *Si falso existimans debere, nummos soluero, qui pro parte alieni, pro parte mei fuerunt, eius summae partem dimidiam, NON CORPORVM, condicam.* Casus sequens est: summam quandam v. c. centum indebite solui. Nummi, quibus soluebam, erant communes. Querebatur igitur vtrum condicere valerem dimidiam partem? Adfirmabat Iurisconsultus. Sed iam altera illi suboriebatur quaestio: vtrum ipsius summae dimidium, an vero corporum nummorum, ab accipiente condicerem? POMPONIVS respondebat, partem dimidiam ipsius summae reposcendam esse. Manifeste igitur liquet, apud veteres, quoties pecunia data erat, quantitatem, toties, quae in pecunia est publica aestimatio, in obligatione fuisse. Indebitum quidem hic Iurisconsulto obuersatur, sed certe hoc in capite illud a mutuo non distinctum esse, nemo est, qui ambigat. Quamuis vero pecunia in mutuo, aliisque contractibus, virtute quantitatis suae moralis in obligationem tran-

E

liga-



figatur, huius indoli tamen minime repugnar, quo minus ut corpus etiam spectetur, quod utrumque satis concinne exposuit interpret humanissimus IOSEPHVS AVERANIVS *Interpret. iur. libr. 3. cap. 10. n. 3. 4. n. 26.* Imo & ut species considerari potest *l. 3. § 4. D. comm. l. 28. D. usufr.* ABRAH. WIELING. *Lectio. iur. civ. Lib. I. cap. 10.* Sed natura eius est praecipua, ut usum non tam ex substantia, quam ex quantitate praebear, praecunte sic PAVLLO *in l. 1. pr. D. de contrab. emt.* hinc in pecunia quantitarem, non corpora aestimari, iubent veterum decreta, ut optime differit FRANC. HOTOMANNVS *Quaest. illustr. quaest. XV.* contra CLAVD. SALMASIVM *in disquisit. de Mutuo pag. 152. seqq.* qui perperam quantitatem de numero intelligebat, contra liquida PAVELLI verba. Numerus est potius pars aestimationis publicae pro unitate assumta, hinc numerus in pecunia ab aestimatione sua, publica forma illi sancita, separari nequit. Elegantem casum exhibet CELSVS *l. ult. D. de condit. caus. dat.* ubi pecunia tamquam merx, non qua pretium seu pecunia numerata, in contractum deducitur, quam GERARDVS NOODTIUS V. CL. eleganti commentario illustrat *Probab. Lib. IV. cap. 4.* quo vir summus argumentandi ratione selecta disputat, CELSVM peregrinam subintellexisse pecuniam, quae tamquam alia merx pro permutando seruo data fuerat, eamque ob causam, seruo non tradito, iam poenitentiae locum fuisse. Et sane est, quod peregrina pecunia in alia civitate pro merce habenda, donec publico usu ut pecunia numerata recepta fuerit. Quo casu corpus horum nummorum, ac si rudis adhuc essent auri argentiue, in obligationem deducitur. Quibus vero perceptis, differentia eius a vera pecunia numerata, quae ratione valoris sui in obligationem redigitur, nisi contrahentes aliter disposuerint, palam omnino est. Iam probavi, in mutuo numeratae pecuniae corpora nummorum non esse in obligatione, aestimationemque pecuniae in eo magis numerari. Quae si rite
per-

perpenduntur, prono inde sequitur aluco, nummos triplici modo in contractibus in obligationem perducere posse, 1) *tanquam pecunia numerata* 2) *ut merx alia*, seu *ut corpus* 3) *tanquam species*, seu *individuum*, prouti supra exposui. Quare iam ad alteram progredior propositionem: *aliam*, nempe, *monetam pro alia reddi posse in expungendo debito*. Equidem vulgari iuris est, mutuo datum reddi debere simili pondere, numero ac mensura, sed merito explicanda regula ex natura ipsius rei, qua in creditum iuimus, & pro discrimine rerum fungibilium accipienda est. Pecunia numerata aestimatione publica constituitur, quae ideo hoc respectu est res incorporalis, & eatenus in pretii quantitate sola consistit, corporumque multitudo plane non spectatur (§. 3 4). Quare si pecunia numerata mutua concessa fuerit, eius *numerus* ex quantitate seu valore publico aestimandus est (§. 3). Quo circa debitor pecuniam eodem numero reddit, si reddit eodem valore publico, ideoque nulla iuris ratio refragatur, quo minus aureos pro argenteis, argenteos pro aureis nummis reddere possit. Etenim alterum, *ut pecuniam accipit*, alterum; *ut pecuniam reddit*, quandoque vna pecunia quantitate alteram aequet, totidem nummiorum corpora, eandemque monetam, *ut restituar*, non necesse est. Nec aliter visum est iuris civilis auctoribus. FLORENTINVS saltem confirmat suo responso, quo casum propositum definit in l. 67. §. 1. *D. de verb. obligat.* Verba iuris-consulti sunt: *Sed etsi, in rei, quae promittitur, aut personae appellatione, varietur, non obesse placet, cum stipulandi DENARIOS, EIVSDEM QUANTITATIS AVREOS spondendo obligaberis.* Multum sane argumenti nostrae, quam defendimus, causae ex FLORENTINI commentariolo adcrevit. Primum est, quod, qui pro denariis promittit aureos, non rem ipsam mutet, sed solum rei appellationem, quemadmodum *seruo stipulanti Lucio, Domino suo, si Titio, qui idem sit, daturum te spondeas, obli-*

gaberis, sunt verba FLORENTINI *b.l.* sequentia. Secundo, quod Iurisconsultus manifeste indicauerit, denarios, aureosque eiusdem quantitatis plane idem efficere, quantitatemque ideo in nummis id proprie esse, cuius beneficio in creditum irent contrahentes. FLORENTINO hanc germanam fuisse mentem, & sua verba satis probant, & vel exinde adparet, quod, si non congruisset interrogationi responsio, cum interrogatus de denariis, aureos sponderet, nulla sane verbis contracta fuisset obligatio. Si materia enim illorum spectatur, utique res satis distinctas esse, nemo ambiget. Sed, si ad nummorum corpora veteres, in obligatione de pecunia contracta, praecipue animum induxissent, per rerum naturam fieri non potuisset, quin alter denarios stipulans, aureos alter promittens, in re ipsa consentirent. Quae quum ita sint, nullum quoque inde petendum est obligationis discrimen, quod in mutuo intercederet, quasi Iurisconsultus de verborum obligatione tantum, non de mutuo, dixerit. Neminem fugere potest, qui saltim leuiter Iurisprudencia Pandectarum versatus, creditum omne, aut re, aut verbis, contrahi, nullumque discrimen inde in debitoris obligatione inductum esse. Proinde debitor ex FLORENTINI responso, qui argenteos accepit nummos, aureos reddendo, debitum expungere potest. Ideo Iurisconsultus denarios stipulantem proponit, cum & in contrahendo & rationibus conficiendis, pecuniae summam, aut nummis sestertiis, aut denariis, exprimere solerent *l. 26. §. 1. D. Deposit. l. 40. de reb. cred. l. 21. D. de condit. indeb.* Immo ipsi Imperatores ARCADIUS & HONORIVS in *l. vi. C. de argenti pretio*, rescripto suo, tributa argento indicta, aureis solidis expungendi licentiam indulerunt. Et aperte eandem rem, ex pecuniae natura iam profluentem, *SENECA de benefic. Lib. VI. cap. 5.* docuit: *nam & pecuniam dicimur reddidisse, quamuis numerauimus, pro argenteis, aureos.* His igitur demonstratis, iam conficimus: 1) *si in mutuo pecuniae*

niae

niae numeratae nummorum corpora ipsa non sunt in obligatione, atque 2) alia moneta creditori reddi potest, pro illa, quam mutuo dedit, non potest non recta via, quam propugnamus, propositio inde sequi: debitorem nempe in mutuo numeratae pecuniae nulla iuris necessitate teneri, summam acceptam ex eodem monetae genere, quo numeratum illi est, soluendi. Sed cum ambiguitatibus facile, ut vulgo fieri solet, implicari videam ipsam, quam iam exantlavi, quaestionem, monendum esse duco; valde diuersum esse: *utrum debitor ex eodem pecuniae numeratae genere soluere teneatur? Et an ex eodem monetae genere reddendum sit?* Posterius negavi, atque iam destruxi. Prius lubens concedo, & concedere debeo. Quamuis enim debitor in alia moneta, quam accepit, solutionem praestaret, tamen ex genere adhuc pecuniae numeratae soluit, quod omnibus nummorum speciebus est commune. Quod ut eo melius adpareat, tenendum est: pecuniam numeratam solam esse aestimationem, seu valorem publicum, monetam vero esse illa corpora, quibus valor impositus est, quod discrimen & ex vernacula satis observamus, ubi vocem *Geld*, distinguimus a voce *Münze*, quae ipsae nummorum species seu moneta indicantur. Certe, si minutias iam persequi & animus esset, & dissertationis cancelli admitterent, criticis animadversionibus prolixiori stilo haec omnia illustrandi copia non deesset.

§. XII.

Debitor eandem monetae bonitatem, quam accepit, in pecunia mutua praestare non tenetur.

Hoc erat primum membrum. Iam succedit alterum, quod (§ 10.) indicaui, debitorem scilicet in eadem bonitate, tam interna, quam externa, qua nummos mutuo illi dedit creditor, pecuniam acceptam reddere, nulla iuris necessitate teneri (§ praeced.) Bonitas monetae interna vel consistit in materia, qua

composita est, vel in pondere eiusdem (§. 3.) hinc moneta, qua debitor expungit creditum, tum demum bonitate interna eadem gaudet, qua constituebantur, nummi a creditore dati, si ex eadem materia conflata eiusdemque ponderis est, ac ea fuit, quam mutuo accepit, adeoque moneta, quae ratione materiae, seu substantiae corporalis, atque ponderis ab alia diuersa est, ratione generis quoque ab illa, ut differat, necesse est, v. c. moneta aurea, argentea & aerea. Enim vero debitor pecuniae numeratae nullo iuris vinculo adstringitur, ut in eodem monetae genere, quo mutuam accepit, creditori reddat (§. praeced.) Quare idem nulla quoque potest teneri obligatione, ut pecuniam mutuo acceptam, in eadem monetae bonitate interna creditori soluat. Quod externam autem bonitatem nummorum adtinet, hic distinguendum esse reor, aut illa post contractum mutationem subit, aut minus. Posteriori in casu de bonitate externa nulla incidere potest controuersia quia debitor iuxta valorem publicum nummos soluere debet. Priori autem, vltiorem distinctionem rei insoles deposcit. Valor enim monetae, vel auctus est, vel deminutus. Vt roque in casu a debitore secundum valorem praesentem, non iuxta praeteritum, nummi in solutione creditori sunt imputandi. Fieri enim non potest, bonitate externa mutata, ut tantumdem corporis, & tantumdem aestimationis seu valoris simul restituere. Valor autem in moneta praestantior est materia (§. 4.) Et etiam analogia legum manifesta hoc desiderat. Si enim hac hypothese emergente, tempus mutui perfecti consummatione inspicere vellent contrahentes, aut creditor, aut debitor actuale damnum certe sentirent. In priori casu, creditor quam maxime, & in posteriore debitor laederetur. In priori enim debitor plus aestimationis & plus valoris restituere deberet, quam accepit, posteriori autem, creditor minus reciperet, quam dedit. Vtrumque est contra mutui naturam, quippe, si in pecunia numerata

merata celebratur, nummi ratione quantitatis suae publicae in obligationem deducuntur (§. 3. 4. & 9.) tantundemque valoris restituendum est (§. praec.) Quae cum ita se habeant, extra omnem dubitationis punctum positum est, debitorem pecuniae mutuatae ad eandem bonitatem, neque internam, neque externam, qua nummos accepit, praestandam obligatum esse. Verum enim vero iam tetigi quaestionem principalem, circa cuius discussionem omnes fere Iuris Romani interpretes prolixè velitari video. Obtinuit inter eos fere longa consuetudine, debitorem ad bonitatem monetae, quae tempore contractus perfecti fuit, servandam ipso Iure Romano obligatum esse, illumque non liberari, nisi eiusdem generis nummos & secundum illum valorem, quem accepit, iterum reddat. Non dicam de illorum superstitiosa philosophandi ratione, qui in mutuo tamquam stricti Iuris contractu, omnia, quae data sunt, omnesque qualitates illorum, cuiuscunque demum generis sint, quam strictissime servandas esse, serio inculcant, quique etiam, vel levissima in parte, discrimen vllum admittere religioni sibi ducunt. Tam alii in sumum abire iusserunt, spuriam hanc arctioribusque certe scientiae cancellis terminatam negotiorum stricti Iuris bonaesque fidei theoriam. Si vel unquam contractus germanam fidem deposcit, mutuum sane est, quod totum bonae fidei negotium est. Inter ea vtrique, prohi dolor! vna superuacanea doctrina alteram produxit, quae haec est: *reddendum esse mutuum in antiqua moneta, si usquam reperitur, sin minus, debitorem ad antiquae aestimationem teneri.* Tantum autem abest, ut legum sanctionibus, de Iure communi loquor, sustineatur, ut potius analogiae Iurisprudentiae Romanae vel maxime repugnet. Iure civili quidem non expresse decisa relicta fuit. Nec enim Iurisconsultorum fragmenta, quae in vasto Digestorum opere TRIBONIANI solertia nobis servavit, nec denique Principum constitutiones Iure Codicis vel vllum vestigium eius rei
 offen-





offenderunt. Quam ob causam semper mihi visum est, Iure Romano de eo nunquam disputatum fuisse, & quidem ea potissima ratione, quod vna eademque moneta in vniuerso Romanorum orbe omnes ac singuli vsi fuerint. Et quamuis, testibus historiae Romanae scriptoribus, interdum rei monetariae mutationes susceperint tam Imperatores, quam Magistratus etiam libera adhuc republica, vt vel ex solo PLINII loco, quem supra (§ 6.) recensui, luculenter constat, nullum tamen inde dubium subortum fuisse videtur, vtrum antiquae monetae vices noviores nummi in solutione debiti antiqui subire possint. Et sane, si dicendum, quod res est, respectu ciuium vnus eiusdemque reipublicae, vlla controuersiae ratio vix cogitari potest. Immo teste PLINIO solutione monetae minoris bonitatis internae, debita antiqua extincta fuerunt. Pecuniae numeratae naturam satis scite, & neruosae nobis delineauit PAVLLVS, & secundum hanc, quae Iuris principia inde deriuanda sint, iam ex rerum notionibus demonstratum dedi. Verum nihilominus aduersam sententiam legibus fulcire student eiusdem patroni, quas igitur iam perlustrabo, ipsaque autem argumenta infra depellam. Primum locum obtinet POMPONIVS in l. 3. D. de reb. cred. qui ita ratiocinatur: *Cum quid dederimus, & si non cauimus, vt aeqve bonum nobis redderetvr, non licet debitori deteriorem rem, quae ex eodem genere sit reddere: veluti vinum nouum, pro vetere. Nam in contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis et eadem bonitate soluatvr, qua datum sit.* Vera vti que est regula, quam POMPONIVS tradit, rerum fungibilium naturam generalem perpendens. Sed intercedit inter mutuum pecuniae aliarumque rerum fungibilium ingens hoc discrimen, ita vt, teste PAVLLO, pecunia ratione aestimationis suae, aliae autem omnes res, quae functionem in genere suo recipiunt, ratione quantitatis physicae in mutuum deducantur. In his rebus

bus

bus solummodo numerus, pondus, mensura consideratur, qua-
 tenus ipsis corporibus physice inest. Iam, si ponamus, debi-
 torem istiusmodi rerum fungibilium non restituere tantundem
 ex eodem genere, eiusdemque bonitatis, tunc sane non red-
 deret illud, quod accepit. Aestimatio enim seu valor in hisce
 rebus, quatenus functionem in genere suo recipiunt, plane non
 adrenditur. Verum in pecunia numerata totum negotium con-
 ficitur ex aestimatione, quam nummi ex decreto reipublicae
 acceperunt. Quare, si debitor creditori suo reddit tantundem
 aestimationis pecuniae valorisue, ex eodem genere tantundem
 eademque bonitate restituit. Et hoc est, quod natura mutui,
 maxime, si in pecunia numerata consistit, necessarie deposcit.
 Hoc certe non negamus, debitorem obligari posse ad idem
 monetae genus, & in eadem interna bonitate restituendum,
 sed de illo disputamus, vtrum ipso Iure Romano ad haec prae-
 standi legis necessitate teneatur, quod ex POMPONII commen-
 tatione probari nequit. Insuper igitur, qui tantum videba-
 tur, POMPONIUM iam in nostras partes redegit. Verum
 litem, quam POMPONIUS iam dereliquit, reassumere video
 PAVLLVM in l. 99. D. de solution. Iurisconsultus, quem merito
 antesignanum causae, quam defendo, supra (§. 3.), salutavi,
 ab ipsis aduersariis mihi obtrahitur, vt conuellat meum *παρα-
 δοξον*. Sed prodeas PAVLLE! agam, an iniuriam tibi a vulgo
 interpretum, qui cortici verborum tuorum inhaerent, tam te-
 mere illatam auertere possim. Ipsa verborum constructio, qua
 causam tuam recitas, te innocentem iam sistit. *Creditorem,*
 inquis, in vulgata editione, atque Haloandrina, *non esse cogen-
 dum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum ali-
 quod passurus sis.* Mendosam tuam esse lectionem, codex Flo-
 rentinus, quem aliam librorum lectionem vincere, inter hu-
 maniores iam obtinuit, satis probat. Et quamuis *creditorum*
 legas, tamen illa l. 99. FRANCISC. HOTOMANNVN. *Quaest.*
 F *illustr.*

illustr. 15. & IOSEPHVM AVERANIVM interpret. iur. Lib. III. cap. 10. n. 7. nihil moratur, quo minus dicere pergant, etiam in aliam formam, quam creditum est, recte solui, hoc enim cum dicunt, semper subintelligunt, dummodo ne creditori inferatur iniquior conditio. Sed iam CORNELIVS *van BYNCKERSHOEK Obseru. iur. Rom. Libr. I. cap. 9.* acute, suo more, observauit, Accursianorum scripturam iure nequidem subsistere, multoque minus inducendam esse, contra lectionem Hetruscam, quae semper in pari causa vincit. Proinde Vir summus obseruat, non stipulatione solum praecedente, quae est coniectura IACOBI CUIACII *in Comm. ad PAVLLI Respons. Lib. IV. in b. l. 99.* sed & extra illam, debitorem, qui simpliciter creditori significauerit, se mutuo indigere aliquot millibus, atque oblatam ab eo pecuniam, utpote sibi damnosam repudiauert, non cogendum esse, ut accipiat, si illi species pecuniae non viles sint, puta, quod eam exponere, vel alio locorum mittere nequeat. Quin nec alias in iure nostro sine exemplo esse, *creditorum & debitorum* nomina confundi, euincere valerem, si id iam agere vellem. Nam, si & vulgaram l. 99. lectionem retinerem, nihil sane ex PAVLLI oratione metuendum est. Finge nummos, quos creditor mutuo dedit reprobari, vel illorum aestimationem minui, debitoremque ex monetae genere, quod accepit, praecise, creditori soluturum esse. Nonne creditori iniquior tum inferatur conditio? Creditor ut nummos probos contractus perfecti tempore dedit, reprobos illos recipit solutionis die. Sed qui fieri potest, ut debitorem tantumdem sic reddere dicamus? Proinde PAVLLVM in hunc casum accipiendum esse, ipsa natura pecuniae numeratae, quam ipse PAVLLVS optime depinxit in laudata *lege l. D. de contrab. emt.* abunde docet. Ita integritatem, ita famam ICTI seruauit. Tandem rescriptum VALENTINIANI atque VALENTIS AVGG. *in l. i. C. de veter. numismat. potest.* frustra aucto nobis obmouetur. Nihil enim impe-

impe-

impedit, quominus Caesares rescripserint; *solidos debiti ponderis & speciei probae soluendos esse*. Ineptum atque futile inde argumentum: *AVGVSTI sanxerunt, monetam iusti ponderis ac speciei probae solui, ergo in eodem monetae genere eademque bonitate soluendum est*. Vtique si mutuatarius non reddit probam, iustique ponderis monetam, non cogendus est creditor illam accipere. Sed qualis est, istiusmodi moneta vitiosa? Illa profecto, nisi omnia me fallunt, quae bonitate interna, iuxta normam rei monetariae praesentem, publico decreto definita destituitur. Sed quid hoc ad nostram disputationem? non quaerimus, utrum debitor monetam aerasam, detonsam creditori suo reddere possit? sed an ex eodem nummorum genere, quos accepit, eademque bonitate, quae tempore mutui contracti aderat, iuris ex necessitate reddere teneatur? Iam vero, qui monetam, Principis ex decreto, quoad internam substantiam deterioiorem quidem reddit, in moneta certe iusti ponderis probaeque speciei soluit. Factum enim est Imperantis, indeque casus fortuitus quoad illum, cui pecunia soluenda est, quod factum a debitore profecto non praestandum venit, nisi casum monetae mutationis pacto in se receperit.

§. XIII.

Interpretum commenta discutiuntur.

Numeratae pecuniae naturam haecenus consideravi, & quae inde sequuntur iuris principia, deduxi ex rerum notionibus (§ 2-8.) nihilque aliud in contractu mutui, secundum li- quida iuris Romani decreta statuendum esse, demonstratum dedi (§ 8-12.). Confeci, debitorem mutuatarium neque ad idem monetae genus, neque ad eandem nummorum seruandam bonitatem internam vlla legis necessitate teneri, nisi specialiter de utroque inter partes transactum fuerit. Destruxi iam radicem dissentientium interpretum causae, sinistram legum



Iuris ciuilibus explicationem remouendo. Iam igitur, vt officio meo plane defungar, rei amplitudo depofcit, vt antefignanos aduerfae fententiae in medium prodire, illorumque uifiones in fumum abire iubeam. Procedite igitur. Arma nobis iam extant parata ad animaduerrendum in crimina, quatacunque demum fint. Er ueftra, aduerfarii, admurmuratio facit, vt agnofcere videamini, qui haec fecerint. Caput prae ceteris efferunt AVGVSTINVS LEYSER, IO. HENRIC. BERGERVS, REINHARDVS BACHOVIVS, & GERARDVS NOODTIVS nonnullique alii, quibus fuffragii ius eft. Reliquos non curabo. Sunt ex plebe. Turmam ducat LEYSERVS. Quin omnes fimul in iudicium vocarem, nifi multitudo moleftiam crearet. Neutiquam vero, LEYSERE! primum tibi ideo adfignauit locum, quafi facinoris focios eruditionis praefantia nominisque decoribus praecires. Sed faftu tumes prae ceteris, rubicundoque sanguine miferos detorques debitores. Ita eft, vt dimicandi pruritus ante omnes, compeftamus. Recita iam libellum. Aequam ministrabo iuftitiam: *regula quam primo loco propono, inquis, Spec. 529: medit. 15. 16. in ipfa recta ratione & aequitate fundata eft.* Miror hoc! fed ne plane obftupefcam, argumenta huius regulae vehementer expeftabo. *Videlicet, quando moneta, pergis, siue quod ad externam siue quod ad internam bonitatem mutatur, ipfa fimul rerum pretia mutantur, atque vel crefcunt, vel decrefcunt.* vid. l. 2. C. de vet. numifmat. pot. Sed vellem, vt famae tuae integritati melius profpexiffes, liturisque haec potius induxiffes, quam vt inueteratum errorem reftaurare & liquidam fimul Imperatorum mentem in l. 2. Cod. cit. peruerrere apud animum conciperes. Nunquam tibi, LEYSERE! falsum & futile hoc principium: vt abfque omni restrictione concederem, a me impetrare potui. Tralatitium quidem eft, inter pecuniam & aliarum rerum pretia, quafi ipfa natura aequalitatem feruari. Sed ego commentitium reguro. Diftinguenda sunt commercia cum ex-

ceris

teris gentibus, ab iis, quae in territorio sunt. In priori casu non est, ut tibi contradicam; sed utrum in commercio cum peregrina gente pecunia adhuc maneat pecunia numerata? car- do rei est. Et valde dubito. Negotium iam faceffit NOOD- TIVS, qui in reliquis omnibus a tuis stat partibus. Probavit humanissimus interpretes ex PLINIO & VOLVSIO MAECIANO, nummum peregrinum mercis loco fuisse habitum *Lib. IV. Pro- bab. Cap. IV.* Hinc merces peregrinas augeri posse suo pretio lubens concedo, sed de habitu pecuniae in illo territorio, vbi imperantis decreto aestimationem recepit, nobis tantum sermo est. Finge, Principem mercium suae reipublicae exportationem prohibere. Etiamne adhuc rerum pretia, monetae boni- tate, vel aucta, vel deminuta, aut crescant, aut decrescant? Neutiquam! & quotidiana funesti temporis hodierni experien- tia tuam doctrinam conuelleret, si commento tuo iterum in- stare velles. Nec Augustales codicilli facinoris excusationem indulgent *l. 2. Cod. de vet. numism. pot.* Serio optarem, mihi iam copiam esse, hoc specimen incuriae tuae praetereundi. Sed audaciae crimen apertius est, quam ut praetermittere pos- sim. Inspectio enim *leg. cit.* clare ostendit, te vel illam num- quam euoluisse, aut Homeri dormientis fato succubuisse. Ni- hil est, LEYSERE! causae tuae praesidii ex hoc VALENTINIANI & VALENTIS rescripto petendum. Rescribunt Augusti ad IVLLIANVM Praefectum Praetorio: *pro imminutione, quae in aestimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretia specie- rum decrescere oportere.* Mihi certe in tanta verborum luce non persuadebis, Imperatores, decrescere solidorum valore, mercium pretia quoque decrescere, sanxisse. De solidorum valoris imminutione temporibus VALENTINIANI atque VALEN- TIS transcriptum fuisse, ipsa rescripti verba inculcant. Solidus integrum quid significabat, uti hodie v. c. thalerus. Semisses, quadrantes &c. solidi erant partes, quas species saepius vete- res:



res dixisse, rei monetariae Romanae satis restantur monumenta. Quaestio oriebatur IULIANO: utrum pro solidorum deminutione specierum etiam aestimatio decrescere debeat. Rescribebant Imperatores Praefecto suo Praetorio, ut curaret, quanti solidi minuuntur, tanti etiam eius partes, seu species, minuerentur. Facillima haec legis explicatio, quae IACOBI GOTHOFREDI ingenium mirum in modum exercuit, calculum Viri in repetendis Iuris fontibus acutissimi GORNELII van BYNKERSHOEK dudum tulit, in *Observ. Iur. Rom. Lib. II. cap. 16.* Vide igitur LEXSERE! quantum tua opinio a veris legum rationibus differat. Proinde destructo palmario tuae causae praesidio, cetera argumenta flocci habenda esse reor, quae ita subornas: *Igitur creditor, nisi & eandem, quae tempore contractus fuit, monetam, atque in eodem valore accipiat, non accipiet id, quod olim ei promissum fuit, sed vel plus, vel minus: Convenit haec regula etiam Iuri Romano, ut ex l. 3. de reb. cred. & l. 99. D. de solut. patet, qua propter & l. l. c. c. Elector Saxoniae eam in §. 2. Constit. 28. iamdiu confirmavit.* Sed perperam ratiocinaris & nec POMPONIO nec PAVLO umquam in mentem venit. Sed & manifestum est, nos eodem iure, si ad tempus contractus recurrendum esset, respectu debitoris argumentari posse, illum nempe vel plus, vel minus reddere, si bonitas monetae mutationem subierit. Sit tua hypothesis, *pretia rerum crescere, viliori moneta introducta*, sane debitori duplex obuersaretur damnum. Plus enim aestimationis restituere deberet creditori, quam accepit, pluris quoque idem sibi comparare cogeretur merces, quae ad rem familiarem suam requiruntur. En! duplici iam flagello te petere in miserum debitorem; sed iam oculos conuerte ad foeneratorem, cuius causam peroras. Pluris quidem, in tua hypothese, merces sibi comparat, sed tantumdem in solutione tamen recipit, quantum dedit tempore contractus, verae aestimationis publicae in nummis mutuis. Non

Non vrgeas, te obsecro, tantumdem auri argentine non recipere a debitore, quantum dedit: facile haec concederem, sed quid inde? debitor aurum argumentumue mutuatus non est, & quoties materia nummorum pacto adiecto simul in obligationem non deducta, tories numerata pecunia solum in illa est. Quod vero in obligatione est, illud etiam debet esse in solutione. Summam pecuniae numeratae mutuam accepit, tantumdemque restituit debitor, qui nummis publice probatis soluit. Iuris autem Romani iam praecedenti §. exantlauimus. Tantum autem abest, vt Elector Saxoniae in tuam sententiam pedibus iuerit, vt potius sequentibus paginis commonstrare possim, nihil, si dicendum, quod res est, hac constitutione a iure communi diuersum, certe quoad bonitatem externam, inuectum fuisse.

§. XIV.

Continuatio disputationis aduersus interpretes I. R.

LEYSERVM excipiat BERGERVS. In eo, quod inter dauntuiros alias celeberrimos commune est, argumento litein, quam contra LEYSERVM iam dedi, non resuscitabo, sed speciali satisfaciain argumento, quod BERGERVS in medium produxit. Tempus contractus perfecti tum etiam spectandum esse statuit, cum inter creditorem & debitorem conueniret, vt pecunia mutuo data deinceps restituatur, an gangbarer unerrufener Münze, propterea, quod mutatio monetae est facti, atque adeo a contractibus minus praesumitur cogitata esse. Sed vtique ieiuna est haec argumentandi ratio, quod pace manium tanti Viri dixerim. Praesumptioni plane nullus est locus, vbi quaestio non incidit, quid inter partes actum sit. Monetae mutatio, eiusdemque valoris determinatio, factum est solius Principis, quod igitur a debitore profecto non praestandum est. Accedit, quod in hoc casu pactum expresse interpositum sit, debitorem solu-

tio-



tionem an gangbarer underrussener Münze tempore solutionis praestare debere. Qui vero in eiusmodi moneta soluit, quae Principis ex suffragio, valore publico, in loco solutioni praefixo gaudet, certe soluit an gangbarer underrussener Münze, adeoque omnis Iuris ratio refragatur, cur creditor meliorem monetam, ac debitor illi promissit, iam extorquere valeret. Haec fuit sententia, quam BERGERVS in *Oeconom. Iur. Lib. III. tit. 3. not. 4.* proposuit, qua inique satis erga debitorem statuit. Ut vero inter contrahentes aequam iustitiam seruare, videatur, in *Resolution. Lauterbach. p. 180.* in casu conuerso secundum debitorem litem dedit. Rationes suas ita subduxit: *mutuatarium accepta mutuo pecunia praua, talem reddendo liberari, quamuis illam expenderit ut probam, propterea quod semper respiciendum est ad tempus contractus, atque adeo creditor plus genere, quam dederit, a debitore petere nequit. Nec vero lucellam, quod hoc casu consequutus est debitor, adscribendum est factio creditoris, sed beneficio fortunae.* Lepida Philosophia! Quae tandem te mouit ratio, BERGERE? ut contractus verborum cortici vnice inhaereas. Qui fieri potest, ut tam singulari atque minus vsitata ratione omnem bonam fidem, quam totum deposcit mutui negotium, omnemque pecuniae numeratae naturam vltro transgrediaris? Scias, te a LEYSERO ipso idcirco pessime habitum fuisse *med. 17. cit. spec.* Licet enim te paradoxae suae sententiae strenuum consortem laudauerit: tuum tamen hoc effatum circulos suos ita turbat, ut fere tibi ipsi bella decreuerit. Sed te in viam reducere conabor. Sensus aequi atque boni te ipsum docuit, id creditori iustum merito haberi, quod idem in debitorem statuisti. Lapsus igitur ingenii solum fuit, quod veram pecuniae numeratae naturam, verumque totius rei momentum haud penetraueris. Bone Deus! finge debitorem in reprobis speciebus datos, fieri reprobos, finge debitorem in reprobis speciebus soluturum esse. Expungitne idem ille debitum in pecunia nume-

merata? Neutiquam. Sed soluit metallum, quod non in obligatione erat. Creditor tempore contractus numeratam pecuniam dedit, iam in momento solutionis recipit cuprum, ferumque aliqua auri argentique portiuncula leuiter mixtum. **VLP**IANVS eleganti suo responso totam tuam destruxit causam. Audi Iurisconsultum in *l. 27. §. 1. D. de pignorat. act.* differentem: *qui reprobos nummos soluit creditori, an habeat pignoratitiam actionem, quasi soluta sit pecunia. quaeritur? Et constat, neque pignoratitia agere, neque liberari posse, QVIA REPROBA PECUNIA NON LIBERAT SOLVENTEM, reprobis videlicet nummis reddendis.* Quare desinas, quaeso, debitoris obligationem ex contractus perfecti tempore metiri. Cur tantis illaqueamus difficultatibus contrahentium fidem? Cur tam temere a veritatis tramite deflectamus? In sola mutui indole germana, in sola numeratae pecuniae natura subsistamus, & ex utraque contrahentium salus esto. Ordo nunc exigit, ut in scenam prodeas **BACHOV**! Equidem me non fugit, quam fortiter Tu pugnaveris contra **TREVTLERVM**, **WESENBECIVM**, aliosque haud inferioris notae artis nostrae peritos. Sed nihilominus a me haud impetrare possum, ut nulla formidine, nullo timore circumductus, bellam tibi non decernerem, quod ipse legum sanctionibus indixisti, in illarum viscera tam temere grassatus: & faciliori negotio palmam tibi iam extorquere licebit, cum vnica solum distinctione, quae tuum acumen excessit, causae tuae palladium subuertitur. *In notis ad TREVTLERI Disput. Lib. I. Disput. 20. thes. 12. & Part. II. Disput. 29.* prolixè, & quod non inficias iuerim, satis speciose, tuo more, causam recitas. Acriter propugnans, pecunia mutuo data, non aestimationem solum, publicamque quantitatem, verum etiam nummorum corpora materiamque primario in obligatione esse. Sed distinguendum est sequenti ratione. Probavi, monetae materiam atque corpora tamquam mercem aliam considerari posse. Pro-

G

bavi,



baui, monetam quoque in ipso mutuo, tamquam aliud rei fungibilis corpus in obligatione esse posse, sed etiam demonstratum dedi, in pecunia numerata solam quantitatem, quae est valor publicus, spectari, adeoque in mutuo numeratae pecuniae solam aestimationem, decreto Principis impositam, in obligatione esse (§. 10.). Quare iam in mutuo, ubi nummi in creditum iuerunt, vel contrahentes simul spectarunt ad numerorum corpora, tamquam aliam mercem, vel non. Priori in casu, vera sunt utique omnia, quae profers, sed pacto eum in finem specialiter eum in finem percusso, opus erit (§. 6); hinc non ipso iure, de quo iam nobis differendum est. Posteriori autem casu, oppido sunt falsa, quae satis operose conquisuisti. PAVLLVS in celebratissima illa *l. i. D. contrab. emt.* una sententia, verbosam tuam controuersiam sistit: *eaque materia, inquit, forma publica percussa, usum dominiumque notam ex substantia praebet, quam* EX QUANTITATE.

§. XV.

Contra NOODTIUM disputatur.

Agmen tandem coronidis loco claudere velis, Iurisconsultorum, qui humanitatis studia ad iurisprudentium contulerunt, grande decus, GERARDE NOODTI!

*qui tantum inter reliquos caput effers,
quantum lentia solent inter viburni, cupressi.*

Tua, in artem nostram merita aeternitati iam satis consecrata sunt, Tuae eruditionis numeris omnibus absolutae monumenta, summa cum veneratione, si quis umquam, certe, ego suscipio. Verum, haec omnia haud impediunt, quominus heterodoxae doctrinae in hoc capite, iam te accusarem. Humanitatis litterae te mansuetiorem reddiderunt, quam ut veritatem, modo re quadantenus a recta via aberrantem reduxerim, non perspiceres. Facile tecum transigam, posteaque cum viro humanissi-



nissimo in gratiam redibo. In eleganti tuo commentario ad *Tit. D. de reb. cred.* ita differis: *id autem agi intelligitur, ut eiusdem generis & eadem bonitate solvatur, qua datum sit. Bonitatem tamen unde aestimamus: utrum ex pretio quantitatis mutuo datae, an ex eius virtute intrinseca?* Ego ex hac malim peti: quia est vera eius bonitas. Pretium extra rem est; magisque ex copia, aut inopia pendet; quam a re ipsa. Sufficit igitur solui quantitatem eiusdem qualitatis, etsi non sit eiusdem pretii. Verum momentum totius causae eo redit; utrum moneta, ut certum pondus auri, argentiue in obligatione sit, an vero, qua pecunia numerata? Prius est contra hypothesin, cum in mutuo pecuniae, qua pecuniae, ipsa quantitas valoris publici in obligatione esse debeat, adeoque posteriori tantum locus esse potest. Qui vero fieri potest, ut in hoc casu tantundem qualitatis, nulla pretii habita ratione, restitui possit? Repugnat certe ipsi numeratae pecuniae notioni. Deinde humani aliquid passus es, alioquin in euoluendis legum fontibus segacissimus, in eo, quod nummorum pretia magis ex copia aut inopia materiae illorum pendeant, quam a re ipsa. Vtrumque est erroneum. Neque pendent a re ipsa, neque ex copia aut inopia eiusdem, sed ex aestimatione, publica auctoritate illi imposita. Aliarum autem rerum fungibilium pretia proficiuntur ex copia, vel inopia, illaque non acceperunt publicam ac perpetuam aestimationem, sed pecunia ipsa aestimantur. Ita est potissima argumentorum ratio, quibus aduersa sententia sustinetur, quibusque haecenus satisfeci. Et ex earum recensioe constat, quantam aequitatis speciem illis intexerint huius sententiae patroni. Debitorem, qui eiusdem bonitatis nummos non soluit, creditoris damno fieri locupletiores iam fere longo usu obtinuit. Sed si vmquam proletaria statuendi fuerit ratio, certe haec eademque erit. Nec profecto debitor rei monetariae mutatione accedente locupletior fit, cum pecu-





niam nemo certe petat, nisi statim ea, vel in expendendo, vel in soluendo vsurus sit, ideoque bonitas eius mutatur, postquam nummorum corpora, quae dedit creditor, apud debitorem nulla amplius existant. Nec creditor damnum vnum sentit veri nominis. Sine imminutione enim actuali patrimonii non obuerfatur damnum, iuxta vulgati iuris principia. Qui vero eundem recipit valorem, quem dedit, eius sane patrimonium non diminuitur, cum pecuniae ea sit natura, vt tantumdem ex illa nobis sit idem, quoad patrimonium nostrum (§. 2. 3. 4.). Perdit solum pretium excedens vulgo das Agio, concedo. Sed lucri cessantis nulla habenda est ratio, nisi aut pacto expresso, sibi satis prospexerit creditor, aut debitor manifeste in mora deprehensus fuerit. *l. 20. ff. de rei vind. l. 2. D. de vsuris. l. 31. D. de reb. cred. l. 21. §. 3. D. de act. emt. l. 7. §. 5. D. de Pactis.*

§. XVI.

Transitus ad alia negotia.

Tantum de pecunia mutuaricia disputare mearum partium esse duxi. Defunctus sum vberiori commentatione iure debitoris in contractu mutui. Iam eius causam perorabo in aliis solutionibus extra mutui negotium. Cum enim tantum a communi sententia iniuerim diuortium, adfinitas rerum me diuinxit illorum doctrinae etiam satisfacere, quam non tantum omnes in aliis contractibus atque numerationibus nummorum inducunt. Sed non singula recensebo negotia, quibus pecuniae solutio in obligationem deduci potest, sed in illis subsistant, circa quos iuris interpretes velitari video. Sunt 1) *locatio*, 2) *emtio*, 3) *legati praestatio*, & 4) *pacta dotalia*, quibus breuissime adhuc adhuc operam nauabo. In his enim omnibus eadem, imo maior est ratio, quam in mutuo. Primum *locatio conductio* subit locum, & de hac sequentem propositionem formandam esse duco. *Si durante locationis conductionis tempore*
muta-

mutatio rei monetariae contingit, conductor ad mercedem in illa moneta, quae tempore contractus initi fuit, soluendam, nulla iuris necessitate tenetur, nisi debitor 1) ad certum, atque sufficienter DETERMINATVM MONETAE GENVS, 2) ad eandem BONITATEM EXTERNAM & INTERNAM, quae tempore contractus fuit, pacto expresso, eum in finem inito, se obligauerit. Mercedem enim praestiat conductor pro fructibus rei in pecunia numerata, prouti ex ipsius locationis conductionis notione satis luculenterque adparet. Verum, si in eadem moneta, quae tempore praestandae solutionis valore suo publico gaudet, mercedem soluit, certe in numerata pecunia illud ipsum praestiat, ad quod praestandum obligatus est. Quamobrem omnis prorsus deficeret ratio, quare locator in moneta maioris valoris mercedem exigere possit. Certe, si qua vnquam negotio numeratae pecuniae effectus cernitur, sunt certe locatio atque emtio. Si enim cessaret numerata pecunia, illi contractus aut in permutationem, aliumue contractum innominatum, aut societatem fructuum degenerarent. Ponamus igitur, conductorem in mercede soluenda, aut ad melius monetae genus, aut in maiore valore, quam pecunia numerata est tempore solutionis, praestare debere; pacto sane tum expresso opus esset, quia debitor ipso iure ad eadem seruanda non obligatus est (§ 4-6). Verum enim vero eiusmodi pacta adiicientia strictam semper recipiunt interpretationem, ita, vt illud in obligatione conductoris non sit, quod expresse & specialiter pacto hoc adiecto non definitum est; neminemque, qui naturam pactorum adiectorum perspectam habet, haec iuris principia in tanta veritatis luce, quam liquida veterum decreta in omni casu, quo pacta contractibus adiiciuntur, inducere, in dubium incertumque vocaturum esse, auguror, nisi eo vsque locatorum auaritia interdum progrediatur, vt litigiis manifestas conductorum causas satis temere inuoluere studeant. Sed salua illorum res

est, iubente sic PAPINIANO l. 29. D. de pactis: *veteribus placet*, inquit, *pactionem obscuram, vel ambiguam, venditori, ET QUI LOCAVIT, nocere: in quorum fuit, potestate, legem apertius conscribere.* Quare secundum conductores toties lis danda est, quoties conductor in deteriorem causam expresse se non obligaverit, prouti iam aliquoties, respondit ILLUSTRIS ORDO ICTORVM REGIAE FRIDERICIANAE ad species illi propositas. Nec illorum saltim in locationibus conductionibus deficit auctoritas, qui alioquin in mutuo contrariam quodammodo amplectuntur sententiam, IUST. HENNING. BOEHMER in *Introduc. ad ius Digest. Lib. XLVI. tit. 9. §. 9.* Ponamus itaque sequens locationis conductionis instrumentum, eo tempore confectum, quo monetae veteris genera valore suo iam crescere coeperant. Es verspricht Herr Seius, als Pächter von seiner Seite die Summe von 2000. Rthlr. in alten vollwichtigen Louis-d'ors, als ein wahres Pacht-Geld, jährlich dem Herrn Verpächter auszuführen. Secundum tenorem huius contractus duplex considerandum. I) *an in monetae genere conuento conductor mercedem praestare teneatur?* & II) *quamam monetae bonitate merces soluenda sit?* Quoad priorem quaestionem utique affirmandum esse censeo, debitorem nulla alia ratione a sua se expedire posse obligatione, nisi monetae genus, quousque commode reperiarur, praecise locatori soluat. Sed quoad posteriorem distinguenda est bonitas externa ab interna. Posterior, eo ipso in dato contractu per genus monetae expressum, simul determinata est. Quoad externam vero manifesti iuris est, quantum monetae genus in eo factem valore accipiendum esse, quo tempore solutionis publico usu constat. In hoc enim casu, moneta a conductore praestanda, tantum, quoad genus atque bonitatem internam, determinata est, de valore autem numerorum, siue bonitate externa, nihil a contrahentibus definitum est. Quare, quoad posteriorem bonitatem, regula servanda

uanda est, quam numeratae pecuniae natura exigit. Verum secundum illam nummi in eo valore sunt accipiendi, quo publico usu in termino solutionis praestandae aestimantur (§. 6. & 8.); adeoque, genus monetae, eiusdemque bonitas interna quantumuis in contractu definita sit, conductor secundum praesentem valorem antiquae monetae species locatori in solutionem imputare potest. Quo enim iure locator in praesenti casu antiquam monetam iuxta valorem, qui tempore contractus fuit, exigere valeat, ego certe non video. Nullibi sane regula: *crecente nummorum valore, crescunt rerum pretia* magis cessat, quam quod fructus praediorum rusticorum, qui pluris non venduntur, quantumuis vilioris conditionis nummi inuehantur, quod vel sola temporum nostrorum experientia testatur, ubi ex comparatione diuersorum Germaniae territoriorum adparet, in quibusdam prouinciis, quibus melioris materiae moneta usu seruatur, fructus notabiliori plus pretio venire, ac in aliis regionibus, ubi nonnisi deteriores monetae currunt. Iam autem merces ob rei fructus soluitur, atque durissima certe esset conductoris conditio, qui crescente nummorum valore, illos iuxta antiquum valorem soluere deberet, cum tamen in moneta viliori fructus prouenientes ipsi soluantur.

§. XVII.

Iterum aduersus LEYSERVM disputatur.

Nondum autem tibi valedixi LEYSERE! non subsistis in mutuo, foeneratorum caussis patrocinari, sed etiam ad quaecunque alia negotia doctrinam tuam adplicare audes, grauiterque in IACOBVM FRIDER. LVDOVICI probabilis famae ICTum, licet non ubique apices ipsius artis conscendere potuerit, inuehis. Criminis peruersi intellectus peruersaeque adplicationis, vulgati illius: *tempus contractus spectandum est*, accusas. Grauis certe iniuria, & ignoscant, velim, manes beati Viri erranti

LEY-



LEYSERO probrosa haec verba; sed videamus, an tu ipse recte, & secundum naturam numeratae pecuniae vulgatam regulam intellexeris, atque speciebus, in vasto mediationum tuarum opere propositis, rite applicaueris. Sententia tua est, monetae corpora secundum bonitatem internam, quae tempore contractus adfuit, restituenda esse. Repugnat pecuniae numeratae indoli, vt sententia fert tibi §. praec. dicta. LVDOVICI *doctr. pand. tit. de solut. §. 6. seqq.* contra ea regulam, vt fas est, intelligit de ipsa pecunia numerata, adeo, vt in conuento nummorum genere eadem praestanda sit aestimatio, quam tempore contractus habuit, ideoque debitorem, si forsân moneta augmentum acceperit, tempore intermedio, idem illud deducere, creditorique imputari posse statuit. Sane haec, si quid video, b. LVDOVICI interpretatio mutui pecuniaeque numeratae indoli exacte conuenit. Frustraneo ausu prouocas LEYSER! ad Constitutionem Electoralem iam supra laudatam, illamque a b. LVDOVICI male intellectam fuisse vrges. Audiamus tenorem ipsius constitutionis, quatenus huius est loci. Da der Valor und der Werth, und also bonitas extrinseca verändert, dadurch die Münze steigt, oder fällt, oder ganz abkommt, soll der Werth, wie er zur Zeit des Contracts gewesen, bezahlet und erleget werden; wo aber der Schuldner in mora gewesen, und dem Gläubiger mit der Bezahlung auf bestimmte Zeit nicht inne gehalten, und es entsünde dem Gläubiger einiger Schaden oder Abbruch an der Münze, denselbigen soll ihm der Schuldmann auch ersetzen. Ex hac legis Saxonicae sanctione, quoad bonitatem nummorum externam, statim liquet, serenissimum legislatorem duo propter ICrorum dissensiones, controuersa capita legis virtute definiuisse. *Primum est*, debitorem in casu monetae valoris aut crescentis, aut decrescents, creditori ad praestandam bonitatem externam, quae tempore contractus vsu recepta fuit, obligatum esse. Iam ponamus, solutio.

lutionem in moneta aurea promissam fuisse: ponamus porro, singulorum aureorum valorem contractus tempore aestimatum fuisse quinque thalerorum pretio, illumque valorem postea autem ultra alterum tantum adcreuisse. Iam in solutionis momento, quodnam monetae genus, qualemque praester debitor valorem, quaeritur? Alio modo, secundum mentem laudatae constitutionis certe responderi nequit, ac LUDOVICI respondit, genus, nempe, monetae aureae, si quod promissum est, praestandum esse, eundemque valorem, quem determinatum genus tempore contractus habuit. Iam si valor vnus cuiusque aurei tunc temporis quinque thaleris aestimaretur, illeque autem deinceps auctus fuerit, augmentum quoque valoris superueniens tum deducendum erit. Creditor enim secundum hanc constitutionem plus exigere nequit valoris, quam qui contractus celebrati tempore monetae tribuebatur. Proinde si ponimus, viginti nummorum corpora olim centum thalerorum pretio aestimata fuisse, deinceps vero idem pretium decem monetae corporibus tribui, debitor quo minus iam decem, loco viginti in solutione adnumerare possit, nihil impedit. Totidem aurei enim eo valore iam gaudent, qui tempore contractus promittebatur.

Alterum denique caput, damnum ex mora debitoris oriundum refarciri iubet, ex quo simul palam est, mentem citatae constitutionis recte explicatam esse, quoad prioris capitis momenta. Nam si ea fuisset serenissimi Saxoniae legislatoris mens, quam LEYSERVS aliique perperam illi obrudunt, subsequens haec de mora debitoris dispositio plane superuacanea redderetur, quia, si adsumere vellem, vt LEYSERVS illique, qui ex eius sunt clientela, debitorem totidem nummorum corpora soluere debere, ac olim requirebantur, ad summam constituendam atque in obligationem deductam, nullus sane vnquam casus possibilis existeret, quo creditor ex mora debitoris vix vllum perferentisceret damnum ex monetae mutatione, qui iam in omni casu acciperet va-

H

lorem



lorem, quem deposcit, totidemque nummorum corpora, etiam si vel maxime moram nullam neciteret debitor. Pergis, LEYSERE! *loc. cit.* te per litteras familiares interrogatum, respondisse: Die Frage scheint in Ansehung der unzähligen Dissensionen der Rechts-Lehrer, eine der intricatesten zu seyn, ist es aber in der That nicht, sondern der ganze Disput obgedachter DD. kommt daher, daß sie den casum einer univervellen Münz-Veränderung mit der Absehung einiger specierum vermengen. In jener ist schlechterdings auf das tempus contractus, und den damaligen gewesenen Münz-Fuß zu sehen, weil sonst wegen zugleich geänderten pretii rerum ein Theil Schaden leiden müste, & id genus alia. Eheu quam tristis rationis adspectus! Quam belle? Quam pragmatice? Tanti fuit tuum de hominibus forensibus bene merendi studium, vt illis tam horribile secretum, bona fide, & ex veterum formula: INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, vernacula manifestares. Tam practice interdum sapit hoc hominum genus, vt Latina bene ignorent inter ceteras minutias. Et ita facile fieri potuisset, vt prorsus se abstinerent a lectione tuarum meditationum, nisi arti panem lucrandi aureae quodammodo indulgeres. Difficile profecto est satyram non scribere. Sed haec tamen LEYSERE! nolim, ita interpretis, ac si abiectius de te sentirem, quippe quem dudum de arte nostra falsus fuerim meritissimum. Sed subirafor solum tuo de semidoctis hominibus bene merendi studio flagrantissimo, quod, pace tua dixerim, ego certe Iurisprudentiae dedecori reputarem. Sed non diutius inhaerebo. Scapham dixi scapham, ob auctoritatem personae numquam obmutescens.

§. XVIII.

Continuatio doctrinae praecedentis.

Discussa locatione conductione iam progredior ad cetera negotia, quibus operam meam addixi. Succedit

II)

II) *emptio venditio*. Ut totum diffusumque contractus huius ambitum circumspicerem, ad meam disputandi materiam profecto non pertinet. Nec semper rei monetariae mutationem, si quae facta est, adtingit. Causae vero, quae circa illam versantur, triplicis generis potissimum sunt 1) *si res vendita iam tradita sit, de pretio vel eius parte fide habita, 2) in censu, qui dicitur constitutivus, ac denique 3) in emptione sub pacto de retrouendendo celebrata*. De his omnibus tenendum esse duco: *debitorem in illa moneta, quae tempore solutionis publico usu valet, solutionem creditori & offerre posse, & ad illam obligatum esse, nisi aliud inter partes transactum sit*. Eadem ratione euincitur propositio haec, qua superiores probaui, adeoque nouo argumento tuto superledere licet. Proinde, quantumuis a contractus perfecti tempore bonitas monetae mutationem subierit, debitor nec eandem bonitatem nummorum internam, nec externam, quae tempore contractus adfuit, praestare tenetur. Sed in aduersam sententiam & hic vulgo desectunt interpretes. Testis nobis esse potest 10. PHIL. SLEVOGT, qui in *diff. de rei nam. mut. & augm. cap. 3. §. 12.* ita disserit: *Porro etiam in venditione debetur augmentum, quando fides de pretio habita fuit. Iniquitatis equidem facile quisquam arguat hoc assertum, ideo quod ultra conuentionem maiorem nummorum quantitatem venditor recipere videatur. Verum hic attenditur magis, quid conuentum sit super qualitate solutionis, quam rerum mutatio, quae non solet mutare obligationis causam*. Sed assertum hoc non simpliciter admittendum est. Venditor enim omnino, si certum monerae genus, certamque bonitatem, sibi praestari vult, pacto cum in finem expresse adiecto sibi prospicere debet. Sin secus, nulla Iuris adest ratio, quare emtor ultra nummos currentes meliorem monetam maioremque valorem praestare teneatur. Idem quoque merito obseruatur in casu, vbi venditor


ditor rem olim sub pacto de retrouendendo venditam redempturus est. Emissionem nunc excipiat

III) *Legati praestatio*, & quae illi quodammodo similis habetur, *donatio mortis causa*. Equidem DD. ut plurimum in legato praestando, si in pecunia consistit, ad tempus conditi testamenti respiciendum esse, quoad genus bonitatemque monet, perhibent. IO. PHIL. SLEVOGT *l. c. cap. 2. §. 17. & cap. 3. §. 10.* HENR. MELCH. SCHÜTTE *diff. cit. §. 34.* Et ita intelligit IOS. AVERANIVS *Int. iur. libr. 2. cap. 10. n. 10. MODESTINVM in L. 9. D. aur. & arg. leg.* Sed perperam. Neque legum civilium sanctiones aliam in legatis, aliisque mortis causa praestationibus admiserunt solutionis causam, ac pecuniae numeratae exigunt natura indolesque. Neque MODESTINI oratione confirmatur. Iurisconsultus l. c. ita statuit: *Cum certum auri vel argenti pondus legatum est, si non species designata sit: non materia, sed pretium praesentis temporis praestari debet.* Legatum, quod MODESTINVS explicat, non est pecuniae numeratae, seu signatae, sed rudis adhuc auri argentiue, quae etiam in suo genere functionem praestant, adeoque ICTUS heredem non praecise ad materiam auri argentiue legatario praestandam obligatum esse ait, sed pretium eiusdem soluendo liberari. vid. *L. 1. in fin. L. 19. §. 1. L. 35. D. de aur. & arg. leg.* Sed cuiusnam temporis pretium spectandum est? MODESTINVS definit: *praesentis temporis.* Verum iam altera quaestio oritur, utrum ICTUS tempus conditi testamenti, an legati praestandi subintellexerit? IOS. AVERANIVS testamenti conditi temporis rationem habendam esse statuit. Sed manifeste in contrarium abiit SCAEVOLA in *L. ult. §. 1. D. de leg. 2.* Proinde, si testator certum monetae genus adiecerit, quo legata quantitas praestanda sit, heres recte secundum MODESTINVM atque SCAEVOIAM nummos secundum valorem, quem habent tempore praestandi legati, soluit. Quare, si testator

stator indefinite certam pecuniae numeratae quantitatem legaverit, v. c. mille florenos, nihil quoque impedit, quo minus heres ex eiusmodi nummis, qui tempore solutionis praestandae publice recepti sunt, solvat, licet tempore conditi testamenti melioris conditionis moneta in usu fuerit. Idem in donatione mortis causa servandum esse puto. Iure Pandectarum quidem, cum statim a donante res fuerit tradita, aliud dicendum esse videtur, sed postquam Iure Codicis ad pacti legitimi naturam euecta, ac respectu donatarii legati effectus consequuta fuerit, omnis dubitandi ratio prorsus exulat. Nec denique

IV) *in pactis dotalibus* aliud statuendum erit, si rem ex vera sua indole aestimare nobis curae cordique est. Ponamus, Seium filiae suae marito duo millia dotis loco promississe, sine adiecto nummorum genere. Ponamus porro, monetae genera pretiaque nummorum deinceps mutata esse. Iam quaeritur, quam moneta, quoniam eius valore soluenda sit dos? numeratam simpliciter pecuniam hic in obligatione esse, nemo, qui rerum notionibus imbutus est, qui ambigat, certe erit adeoque tam respectu soluendae, quam restituendae dotis, debitor suae satisfacit obligationi, si praesentis iam temporis monetam eiusque hodiernum valorem publicum praestet (§. 8.).

Quae cum ita sint, ea, quae haecenus disputavi abunde docent, multum sane interesse, vtrum debitor ad certum se obligaverit nummorum genus, certamque bonitatem in solutione praestandam? nec ne. Quare prouidis creditoribus vtique quam maxime expedit, vt sibi de his omnibus satis pacto aliaue legitima ratione prospiciant, ne temere litigantium dent poenas, causis alioquin secundum debitorem dandis. Et ita ad intelligendum haud difficile est, regulam, quam vulgo tradunt Iuris interpretes: *ad tempus contractus respiciendum esse*, aut non satis determinatam, aut oppido falsam esse. Nec illa simpliciter



pliciter placet, qua solutionis tempus spectare volunt illi, qui in contrariam a prioribus partem discedunt. In nummis duplex distinguendum esse, alterum, *quantitatem illorum seu publicam ac perpetuam aestimationem* illis impositam, alterum, *materiam seu monetae corpora*, docui (§. 4.). Respectu prioris ad tempus contractus spectandum est, ita ut, si quaestio incidit, *quantum praestandum sit?* illud utique praestari debet, quod in contractum deductum est. Posteriorum vero intuitu, tempus solutionis inspiciendum est, ita ut ex illis nummis obligationi satis faciendum sit, qui tempore solutionis faciendae publico valore gaudent. Si enim hoc in casu ad tempus quoque contractus respici deberet, pacto eum in finem expresse certe adiecto respectu creditoris opus esset (§. 8.). Quo deficiente de Iure Romano, tanquam communi, in sola pecuniae numeratae natura subsistendum est, quoties, legibus provincialibus alia harum rerum ordinatio, ad territoriorum Germaniae conditionem magis apta, perfecta non est. Tandem commentatio, quam in maiorem iam molem excreuisse video, ac apud animum constitueram, deposcit

F I N E M.



ULB Halle
002 187 574


3



sb







LXXI
8
1762
26

GEORGII SAMVELIS MADIHN
IVRIS VTR. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS
IVRIVMQVE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIH
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE
COMMENTATIO

SISTENS
CAVSSAM DEBITORIS
CIRCA
PECVNIAE SOLVTIONEM
MVTATO
POST CONTRACTVM
NUMMORVM VALORE



D. XXIV. APRILIS MDCCLXII.

DEFENSA

A
IOANNE DAVIDE WENZELIO
NVNC CIVITATIS ASCANIENSIS CAMERARIO.



RECUSA ET AVCTA MDCCLXVII.

HALAE MAGDEBVRGICAE

APVD IOANNEM CHRISTIANVM HENDEL.

XII. i.

